DE
PAULO APOSTOLO EJUSQUE ADVERSARIIS

COMMENTATIO.

SCRIPSIT

DR. C. E. SCHARLING,
PROF. THEOL. PUBL. ORDIN. IN UNIVERS. HAVNIENSI.

HAVNIÆ.
TYPIS EXCUDEBAT DIRECTOR *JANUS HOSTRUP SCHULTZ*,
AULÆ REGIÆ & UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.
MDCCCXXXVI.

PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM.

Adversarii, qui Paulo cum reliquis apostolis Jesu erant communes.

CAPUT SECUNDUM.

Adversarii, qui, licet Christo nomen dedissent, a doctrina tamen christiana, qualis a Paulo tradebatur, discedebant.

CAPUT TERTIUM.

Adversarii, qui in cœtibus a Paulo vel a discipulis ejus conditis errores communi Apostolorum doctrinæ obstantes spargere studebant.

PROLEGOMENA.

Inter omnes constat, quanta laus Paulo Apostolo evangelium Christi cum inter Judæos tum præcipue inter gentiles maximo cum successu tradenti sit tribuenda, quippe qui doctrinam Christianam ex Palæstina inde usque ad remotiores Occidentis partes propagaret atque ecclesias conderet, quæ per sæculorum decursum et ipsæ pietatis fama florebant et semina religionis christianæ circumquaque spargebant. Verum huic laudi alia intime conjuncta est, quæ non tam ex multitudine rerum ab illo apostolo gestarum, quam ex gravitate eorum, quæ docuit effecitque, est repetenda. Per Paulum enim plena vis & potestas revelationis Christianæ non solum clarius, quam antea, hominibus detecta, verum etiam ita confirmata & stabilita est, ut quæ antea obstitissent impedimenta, quominus evangelium Christi integram vim suam salutiferam exserere posset, prorsus caderent atque iacerent. Quantum vero contentionis, quantum laboris in hoc opere perficiendo fuerit collocatum, tum demum perspicere licebit, ubi, quantæ difficultates removendæ, quanta certamina subeunda essent, antequam res ad illum finem perduci posset, accuratius perlustratum erit. Quod quum instituturi simus, pauca præmittere juvat, unde cognoscatur, quid de consilio Jesu & beneficiis per eum partis vulgo statutum fuerit, antequam Paulus munus doctoris christiani obiret; quid Paulus de his rebus docuerit; quid tandem reliqui Jesu apostoli de doctrina & provincia Pauli apostolica judicaverint.

§ 1.

Si in rationem fidei, qua Apostoli Jesu post discessum servatoris gaudebant, accuratius inquirimus, hæc fere sunt, quæ de persuasione & exspectationibus eorum religiosis ex illis monumentis, quæ nobis præsto sunt, eruere licet. Per doctrinam Jesu, per facta ejus miraculosa, per prodigia, quibus divina ejus legatio comprobata fuit, inprimis per resurrectionem ejus e morte apostoli Jesu ad certissimam persuasionem adducti erant, Jesum esse illum Messiam, per quem omnia, quæ prophetæ Veteris Testamenti de autore felicitatis summæ Israelitis totique generi humano olim futuræ vaticinati essent, vel jam eventu comprobata vel certe explenda essent. Quum reliqui Judæi Jesum Messiam repudiarent, quod exspectationibus ipsorum de terrestri regno Messiano non satisfecisset, discipuli Jesu probe intellexerunt, salutem per Jesum hominibus oblatam longe alia eademque præstantiora bona complecti. Quod tamen non ita est intelligendum, ac si apostoli Jesu & qui cum iis primo tempore nomen Christo dederunt, omnes exspectationes de futura felicitate externa missas fecissent totamque vim & potestatem beneficiorum, quæ per Christum parta essent, ad internum animi statum revocassent. Immo, ipsi apostoli legationem Christi nondum per apparitionem ejus terrestrem, in qua humili conditione usus odio adversariorum succubuisset, finitam absolutamque esse credebant; verum exspectabant, fore, ut Jesus Christus non ita multo post plena dignitate Messiana conspicuus rediturus esset ad judicium de toto genere humano habendum, quo facto regnum conditurus esset, in quo pii Dei Christique cultores præmiis præstantissimis ornarentur, increduli vero & impii poenis divinis afficerentur. (Act. 1, 6. 3, 20. 17, 31. 1 Thess. 4, 15. Jac. 5, 7 sqq. 1 Pet. 4, 7. 1 Joh. 2, 18 sq. Jud. 18. 21). Attamen præter fidem in Jesu Messia collocatam, cultores ejus non eo solum a popularibus discedebant, quod spem, quam antea unacum his in *adventu* Messiæ collocaverant, ad *reditum* ejus differebant;

verum etiam quod *conditionem*, unde consortium speratæ illius felicitatis dependeret, longe aliter animo concipiebant, quam antea, quum easdem, quas reliqui Judæi, exspectationes Messianas foverent. Hac in re gravissimum ponendum est discrimen inter Judæos, qui fidem Christo habebant, atque eos, qui fidem ei denegabant; sed hinc rursus aliud discrimen non poterat non oriri, quod ipsam *naturam* felicitatis regni Messiani spectabat. Nam quum Judæi felicitatem regni Messiani sibi propterea tribuendam esse opinarentur, quod Israëlitæ essent, quod posteri essent Abrahami, populus Deo propter disciplinam Mosaicam præ aliis gratus et acceptus (Matth. 3, 9. Joh. 8, 33. Rom. 2, 25 sqq. 9, 7), quum hanc felicitatem majoribus olim promissam tanquam jure sibi debitam exspectarent, apostoli Jesu, divino magistro autore, gravissimam illam perspexerunt veritatem: gratiam divinam consortiumque felicitatis divinitus promissæ minime obtineri posse per ullam prærogativam externam, per ullam observationem rituum sacrorum, per ullas denique actiones quamvis præstantissimas, si deesset interna animi pietas modestiæ & submissioni juncta, quæ sola hominem Deo probatum reddere valeret; id enim per totum tempus, quo in hac terra versabatur, Jesus Christus præcipue egerat, ut homines a vana opinione de pretio absoluto externæ pietatis abduceret eosque doceret, omnem externarum actionum vim & potestatem, Deo judice, ex pia & sincera animi pendere indole, unde profectæ essent. (Matth. 5, 20. 22. 25. 28 sqq. 6, 1 sqq. 7, 21. 9, 13. 12, 7. 15, 1 sqq. 20, 1 sqq. 23. 5. sqq. al). Verum quum munus, quod Jesu Christo a Deo patre demandatum erat, non sola doctrina absolveretur, divinus servator haud substitit in præceptis rogandis placitisque religiosis tradendis; sed non magis docendo, quam vivendo & moriendo autor erat, ut qui exemplum ejus aspicerent, qui fidem ei haberent, qui denique toto animo ei se jungerent, eo imbuerentur animo, quo summæ ducerent voluptati se totos ad voluntatem divinam componere, quo summam ponerent suavita-

tem in certamine pro iis, quæ bona, justa, laude digna essent, subeundo, quo eorum denique beneficiorum omnium consortes fierent, quæ nomine τῦ πνεύματος (Gal. 3, 2) in N. T. comprehenduntur. Qui vero ita penitus perceperant "verbis Christi inesse vitam æternam" (Joh. 6, 68 cfr. Act. 5, 20), qui edocti erant, "homines in mortuorum resurrectione *geniis* cælestibus similes fore, qui neque uxores ducant neque nubant" (Matth. 22, 34), qui mentis emendationem (μετάνοιαν), peccatorum veniam (ἄφεσιν ἁμαρτιῶν), dona spiritus sancti (τὴν δωρεὰν τῦ ἁγίυ πνεύματος) ut præstantissima celebrabant beneficia fidei christianæ juncta (Act. 2, 38 cfr. v. 17. 3, 19. 26. 5, 31. 32. 8, 17. 10, 43), — ii certe non poterant καιρὺς ἀναψύξεως (Act. 3, 20), quos eo tempore orituros esse sperabant, quo Jesus cælitus rediturus esset ad mortuos resuscitandos judiciumque de omnibus habendum, tanquam conditionem considerare, ubi indulgeretur cupiditatibus quibusvis sensualibus, sed tanquam statum felicitatis, in quo omnia, gravissimo illo dissidio, quod per peccatum & *defectionem* hominum a Deo ortum esset, prorsus sublato, in reconciliationem cum Deo reverterentur, adeo ut tum demum *vita* illa (ἡ ζωή), quæ vere hoc nomine digna esset, *æterna vita* (ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος), cujus jam ex parte homines fidem Christo habentes hac in terra participes facti essent (Joh. 3, 36. 5, 24. 26. 40. 6, 54. 17, 3. Act. 3, 15. 5, 20), ad summam perfectionem perduceretur (Act. 3, 21 cfr. 1 Cor. 15, 28). Ad hunc enim nexum inter notiones Christianorum de *conditione*, unde dependeret consortium felicitatis Messianæ, atque exspectationes eorum de *natura* hujus felicitatis constituendum adducimur tum testimonio historiæ tum consideratione eorum, quæ rerum ratio afferre debebat [1]). Hinc

1) Dem Christenthume konnte es nach dem unbefangenen Urtheile der Vernunft nicht anders ergehen, und der Geschichte nach ist es ihm auch gerade so gegangen. Das Judenthum war seine Wiege, und die neue Lehre wurde nur als ein auf dem Baum des Mosaismus gepfropftes edleres Reiss, doch im-

quoque explicari potest, cur Christus, qui totus in eo erat, ut præconceptas opiniones de pretio externæ religionis absoluto ex animis apostolorum exstirparet, exspectationes eorum de splendore regni Messiani futuro in medio quasi relinqueret, immo imaginibus & locutionibus uteretur, quibus facile confirmari possent exspectationes illæ judaicæ de regno olim condendo, (Matth. 16, 27. 19, 28. 20, 23. 8, 11. 24, 30. 25, 31 al). Nam certo prævidere poterat, ubi cultores ipsius conditionibus salutis æternæ obtinendæ a se propositis satisfecissent, eos ultro relicturos esse notiones pueriles de thronis & regnis, de epulis & voluptatibus, quibus exspectationes de felicitate Messiana antea exornassent.

Qualescumque demum exspectationes Apostolorum fuerint de felicitate piis Christi cultoribus olim futura, hoc certum est, eos pristinæ opinioni vanæ de favore Dei per externum cultum conciliando valedixisse atque totos in eo versatos esse, ut mentem animumque ad voluntatem Dei componerent. Aeque certum est, per fidem Christo habitam ejusmodi animi habitum in iis ortum esse, quem efficacius describere non valerent, quam imaginibus ex nova vita, ex regeneratione, ex liberatione a captivitate peccati & miseriæ petitis (Act. 2, 40. 4, 12. 5, 20. 11, 18. Jac. 1, 15. 18. 25. 2, 12. 1 Pet. 1, 23. 2, 5. 16. 24. 1 Joh. 3, 14). Hanc persuasionem, hanc animi indolem, ex qua ipsi suavissimam percipiebant lætitiam, cum aliis communicare studebant; hoc sibi a Deo demandatum esse munus agnoscebant, ut evangelio de Jesu Christo annuntiando idem sinceræ pietatis studium, eundem tenerrimi in Deum & Christum amoris affec-

---

mer dem alten Stamme angehörig, betrachtet, in dem Grade, dass anfangs — — — die Wiederaufrichtung der jüdischen Theocratie unter der Form eines äusserlichen und sichtbaren Messiasreiches als Ziel und Endzweck des Christenthums, der gebesserte Sinn aber und die Erneuung des inwendigen Menschen als Mittel betrachtet ward. *Schmidt-Phiseldek*, Die Welt als Automat und das Reich Gottes. p. 313.

tum, eundem lætissimæ libertatis & vitæ sensum in aliis excitarent. Societatem condere studebant, cujus membra fide Christo habita intime juncta voluntatem divinam sentiendo agendoque ita exprimerent, ut antea quidem a prophetis ideali ratione depictum, haud vero unquam reapse effectum erat. Nam etiam prophetis id propositum fuerat, ut Judæos a vano externo Dei cultu ad sinceram pietatem atque veram in Deum obedientiam revocarent; verum studia eorum nonnisi σκιά τῶν μελλόντων fuerunt, donec per Christum, quæ sancti illi Dei homines præsagierant, eventu comprobata et expleta sunt.

His igitur omnibus non inerat, quod apostolos cæterosque Jesu sectatores a disciplina Mosaica abalienaret; immo vero per novam fidem, quam amplexi erant, alacriores etiam facti sunt ad officia præstanda, quæ Deus per Mosen populo Israelitico imperaverat; non amplius in ignava & externa legis observantia acquiescebant, sed toto animo in eo occupati erant, ut promto & intenso studio præceptis legis divinæ e sincera mente obsequium præstarent. Constat quidem, Jesu etiamnum vivente, Pharisæos, odio & fanatismo incensos, sectatores ejus anathemate plectere atque communione sacrorum judaicorum indignos pronuntiare studuisse (Joh. 9, 22. 12, 42); verum Nazaræi ipsi remotissimi erant a cogitatione de vinculis religionis & civitatis, quibus cum popularibus juncti essent, dissolvendis. Cujus rei multa exstant testimonia in Actis Apostolorum. Apostoli & qui cum iis Christo nomen dederant, templum conventusque Judæorum sacros celebrare pergebant: Act. 2, 46. 5, 12. Jac. 2, 2; tempora precibus dicata cum reliquis Judæis observabant, Act. 3, 1. 10, 9. Quamvis proceres Judæorum infensissimi essent hominibus illis, qui cruentam mortem Jesu ipsis exprobrarent (Act. 5, 28), criminationem tamen violatæ legis Mosaicæ in eos non conjecerunt, quod certe haud intermisissent, si copia ipsis facta esset invisam hanc sectam suspicioni & odio plebis judaicæ hac ex parte subjiciendi, (id quod historia Stephani & Pauli docet).

Quid vero? quum gravissima illa offensio, quæ orta erat ex doctrina de Messia cruci affixo, paullulum sedata esset per institutionem apostolorum, qui hanc Messiæ sortem a prophetis Veteris Testamenti prædictam esse ostendebant (Act. 3, 18) pignusque eo contineri docebant gloriosissimæ Jesu Christi apparitionis futuræ, sectatores Jesu tantum jam favorem magnæ partis populi judaici, cui sacra majorum plurimi æstimabantur, conciliarunt, ut apparitores hierarcharum judaicorum, metu coacti, violentas manus apostolis injicere haud auderent (Act. 5, 26 *Τότε ἀπελθὼν ὁ ϛρατηγὸς — — — ἤγαγεν αὐτὲς, οὐ μετὰ βίας. ἐφοβϋντο γὰρ τὸν λαὸν, ἵνα μὴ λιθασθῶσιν.* cfr. 2, 47 (*πάντες οἵ πιϛεύοντες*) *ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαὸν*). E sincero disciplinæ Mosaicæ studio, quo Nazaræi excellebant, explicari quoque potest, cur tam multi Judæi primis temporibus novæ societati se adjungerent (Act. 2, 41. 47. 4, 4. 5. 14), quin etiam sacerdotes, quorum plerique placitis Pharisæorum dediti erant, haud pauci christianam fidem amplecterentur (Act. 6. 7). Propter summam hanc in sacra Judæorum reverentiam, quam sectatores Jesu præ se ferebant, multi quoque ex eorum numero, qui fidem Christo non habebant, mitiorem de nova secta sententiam fovebant; ita Gamaliel, cujus consilio (Act. 5, 34-40) assessores synedrii morem certe non gessissent, si apostoli violatæ aut contemtæ legis Mosaicæ fuissent convicti. *Ananias*, Judæo-Christianus, qui Damasci vivebat (Act. 9, 13. cfr. 22, 12), describitur ut *ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον*, quare etiam laudibus celebrabatur omnium civium *Judaicorum* (*μαρτυρϋμενος ὑπὸ πάντων τῶν κατοικϋντων Ἰϋδαίων*).

Tum demum, quum Stephanus in memoriam revocaret doctrinam Jesu de cultu levitico olim abrogando (Act. 6, 14), acrior in Christianos orta est persecutio. Qua sæviente, quum evangelium Christi inter Samaritanos traditum sit, quum non solum hi hostes Judæorum infensissimi (Act. 8, 14 sqq.), verum etiam gentiles, quamvis circumcisionis expertes, (Act.

10, 48. 11, 20 sq.) civitati christianæ adscribi cæperint, animi Judæorum rursus ita abalienabantur a sectatoribus Jesu, ut Herodes Agrippa gratum quid faceret populo judaico, quum Jacobum majorem capitis supplicio affici Petrumque in vincula conjici juberet (Act. 12, 2 sqq.). Attamen hic quoque finis imponebatur publicis persecutionibus, quibus Nazaræi in Palæstina fuerunt obnoxii, nam, Agrippa rege haud *ita* multo post († 44) rebus humanis demto (Act. 12, 21 sq.), vexationes, quibus sectatores Jesu in Palæstina afflicti fuerant, haud quidem omnino cessabant (cfr. 1 Thess. 2, 14), verum non tam sectam Nazaræorum in universum, quam certos quosdam homines huic sectæ addictos feriebant. Nam quamquam ab hoc tempore liberiores de autoritate legis Mosaicæ notiones inter Christianos invalescere cæperunt, adeo ut multi *vel* ex Judæo-Christianis inter gentes dispersis disciplinam Mosaicam missam facerent (Act. 21, 21. § 4, 1 Cor. 7, 18, § 7), unde gravissimum in Christianos oriebatur odium, in Palæstina tamen quotquot Judæorum Christo nomen dederant (quorum numerus tricesimo circiter anno post discessum Jesu multa millia complectebatur) veterem reverentiam in instituta Mosaica servabant (*Θεωρεῖς ἀδελφέ* — ita Jacobus presbyterique Hierosol. Act. 21, 20 Paulum alloquuntur — *πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰȣδαίων τῶν πεπιςευκότων· καὶ πάντες ζηλωταὶ τȣ̃ νόμȣ ὑπάρχȣσι*). Quid? *Jacobus*, frater Domini, per longam annorum seriem præses ecclesiæ Hierosolymitanæ, tanto honore & Christianis & Judæis habebatur ob insignem, qua excellebat, pietatem diligentissimamque legis Mosaicæ observantiam, ut — testante *Josepho* Antiqq. XX, 9, 1 — optimi quique nobilissimique Judæi cædem ejus per Ananum pontificem Maximum perpetratam († 63) tanquam facinus turpissimum gravissima indignatione ferrent (cfr. *Euseb.* h. e. 2, 23).

Hæc omnia quum ostendant, quam alieni Christiani Palæstinenses essent a ritibus sacris Judæorum negligendis vel contemnendis, narratio de Cornelio gentili per Petrum Apo-

stolum baptizato (Act. X. XI) luculentissime comprobat, apostolos Jesu cæterosque ejus sectatores primis temporibus persuasissimum sibi habuisse, fidem Jesu Christo habendam *necessarie adstrictam* esse disciplinæ Mosaicæ. Nam quanquam exspectationibus Judæorum Messianis hæc quoque continebatur, quod omnes omnino terrarum orbis incolæ felicitatis regni Messiani participes fierent, id quod etiam effatis ipsius Jesu confirmatum fuit, Matth. 8, 11. 28, 19 cfr. Act. 2, 21. 36. 39. 3, 25. 26, apostoli tamen convenienter vaticiniis prophetarum V. T. (Jes. 66, 17 sqq. Zach. 8, 21-23, 14, 16) atque opinionibus popularium [1]) hanc spem ita animo concipiebant, ut gentiles haud prius in consortium venturos esse regni Messiani, quam disciplinam Messianam suscepissent, certe crederent [2]). Quum igitur Petrus, visione divinitus oblata, meliora edoctus (Act. 10, 11 sqq.) Cornelium hominem non circumcisum cum familia ejus lavacro sacro immergere ausus esset, cætus Christianorum Hierosolymitanus vehementissima perturbatione commotus est, ut, ratione a Petro singularis hujus actionis exacta (Act. 11, 1-3), tum demum ad tranquillitatem rediret, quum comperisset, Petrum nonnisi certissimis indiciis voluntatem divinam expertum (Act. 11, 5-17) ad gentiles baptizandos accessisse. Quando vero Christiani judaici in hæc verba, quibus assensum iis, quæ facta essent, præberent: Ἄραγε καὶ τοῖς ἔθνεσι ὁ θεὸς τὴν με-

1) In Cod. *Avoda Sara:* "R. Joseph inquit: tempore Messiæ venient gentes hujus mundi & fient Proselyti — — — immo vero fient Proselyti sua sponte attracti apponentque phylacteria capitibus ac bracchiis suis, filamenta vestibus ac schedulas suis postibus." v. *Meuschen, N. T. ex Talmude illustrat.* p. 661 not f.

2) Si hæc perpendas, observatio *Schraderi* ad Act. 3, 22-25. (Der Apostel Paulus 5 Th. 1836) ultro evanescet: „*Auffallend* ist, dass Petrus widerholt und in Aussprüchen, die Paulus gebraucht, *die Allgemeinheit der Gnade Gottes in Christo* behauptet und in der Apostelgeschichte *mehr paulisch redet, als Paulus hier selbst thut.* Quomodo cum posteriore observatione se habeat, ex § 4 judicabis.

τάνοιαν ἔδωκεν εἰς ζωήν (Act. 11, 18), erumpebant, spes tamen non ideo iis sublata fuisse videtur, fore ut qui baptizati essent circumcisionis expertes, hanc unacum reliquis ritibus disciplinæ Mosaicæ postea susciperent. Nam ex omnibus monumentis ævi apostolici clarissime elucet, apostolis Jesu Judæisque reliquis, qui iis accederent, religionem christianam primis temporibus ab ea parte plurimi esse æstimatam, qua consilium, quo Jesus Christus hac in terra apparuerit, eo potissimum spectare existimaretur, ut religio Mosaica, ab additamentis vanis Pharisæorum purgata, in priorem puritatem restitueretur novumque ejus studium in animis omnium hominum excitaretur. — Verum tempus instabant, quo sectatores Jesu ad præstantiorem notionem de consilio evangelii Christi animo informandam adducerentur.

Per se enim fieri non poterat, quin ea cogitatio, quæ luce evangelii ad summam perspicuitatem evecta erat: "*cultum Dei externum nullius pretii esse, nisi ex interna pietate profectus esset*" — aliam eamque graviorem Christianis paullatim afferret: "*internam animi pietatem sive sincerum in Deum hominesque amorem jam per se esse cultum Dei præstantissimum, ad quem solum omnia in religione christiana essent revocanda.*" Quod quum penitus perspectum fuerit, tum demum plena & integra vis religionis christianæ revelata est. Tum demum agnosci poterat evangelium Christi ea dignitate & autoritate conspicuum, qua omnibus hominibus omnium gentium omniumque temporum valeret. Hæc demum erat intima quasi medulla doctrinæ Jesu Christi (Joh. 4, 23, 24) qua innumera illa beneficia, quæ inde generi humano orta sunt, tanquam semine inclusa continebantur.

Primus vero, qui post discessum Jesu Christi præstantissimam hanc religionis christianæ veritatem perspexisse videtur, erat vir ex Hellenistarum genere, *Stephanus*. Neque mirum est, præstantissimam illam religionis christianæ veritatem a Judæo-Christianis ex Hellenistarum genere prius perspectam esse, quam ab apostolis Jesu. Constat enim, disci-

pulos, qui egregio usi sint magistro, pro diversa indole e doctrina hujus ea præcipue eligere menteque volvere solere, quæ ipsis maxime placeant iisque respondeant, quorum jam antea magis minusve clare sibi conscii fuerint. Ut igitur apostoli, gente Palæstinenses, Jesum vaticiniis Messianis ex ea parte optime satisfecisse existimabant, qua studium sinceræ in disciplinam Mosaicam obedientiæ non verbis tantum & factis, sed animo & voluntate præstandæ excitavisset, ita Hellenistis, qui nomen Jesu Christi dederant, ea omnium maxime arridebant, quæ Jesus de cultu Dei, spiritu animique pietate, non ritibus disciplinæ Mosaicæ, præstando (Joh. 4, 23 sq.), de templo invisibili in locum templi visibilis exstruendo (Marc. 14, 58) docuerat. Ut apostoli præcipuam advertebant attentionem ad sinceram religiositatem, qua Jesus externis ritibus sacris satisfecerat, ita Hellenistas minime fugiebat, Jesum sæpius præcepta cultus externi neglexisse officiisque humanitatis postposuisse (Matth. 12, 5 sq. 13. 15, 1 sq. Joh. 9, 14. Matth. 5, 23 al.). Hellenistæ enim, inter gentiles degentes, propterea quod cum testes fuerant sacrorum, quibus gentiles pietatem animi exprimere solebant, tum ipsi sæpius prohibebantur, quominus omnibus iis satisfacerent, quæ in lege Mosaicae præscripta erant, liberius de rebus sacris sentire plerumque instituerunt. Quum igitur apostoli cæterique Christiani Palæstinenses reformationem, quam sacra judaica per evangelium Christi subitura essent, in eo potissimum positam esse existimarent, ut hæc a traditionibus foedis Pharisæorum liberarentur atque ad sinceram animi pietatem revocarentur, Hellenistæ, qui evangelium Christi fide amplexi erant, ulterius quid prospicere videbantur. Constat saltem, Stephanum primum fuisse, qui doctrinam Jesu de cultu levitico per religionem, quæ spiritu animique pietate constaret, olim abrogando, diserte profiteretur. Ut enim quondam falsi testes (Ψευδομάρτυρες Matth. 26, 60 cfr. Act. 6, 12 ψευδεῖς μάρτυρες) verba Christi de templo manibus exstructo destruendo alioque exstruendo, quod manibus non ædificatum

esset (Marc. 14, 58 cfr. Joh. 2, 19) in eum sensum detorquebant, ac si religionem Mosaicam conviciis proscindere voluisset [1]), ita quoque eandem in Stephanum ob verba Jesu repetita criminationem conjiciebant (Ὁ ἄνϑρωπος οὗτος οὐ παύεται ῥήματα λαλῶν κατὰ τῦ τόπυ ἁγίυ καὶ τῦ νόμυ [2]). Ἀκηκόαμεν γὰρ αὐτῦ λέγοντος. Ὅτι Ἰησῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον καὶ ἀλλάξει τὰ ἔϑη, ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς Act. 6, 13. 14).

Non satis coustat, quid reliqui doctores christiani, præsertim apostoli de doctrina Stephani judicarint; verum ex iis, quæ Cap. X & XI de baptismo Cornelii leguntur, jure concludere licet, eos nondum eo progressos esse, ut eandem, quæ animo [3]) Stephani obversata fuisse videtur, notionem

---

1) Propter malevolum hoc consilium, quod Jesu & Stephano suggerebant, non propter verba ipsa denunciata accusatores illi appellantur Ψευδομάρτυρες. Cfr. præter Commentt. in h. l. *Neander* Pflanz. d. chr. K. I. p. 58 sqq. *Baur* Comment. de orationis habitæ a Stephano Act. Cap. VII consilio. Tüb. 1829

2) Ita quoque Judæos in Paulum clamantes audimus Act. 21, 28 Οὗτος ἐστιν ὁ ἄνϑρωπος, ὁ κατὰ τῦ λαῦ καὶ τῦ νόμυ καὶ τῦ τόπυ τούτυ πανταχῦ διδάσκων, v. § 4.

3) Auch jezt noch wussten die Apostel selbst nicht, dass sie der Welt etwas anders anzukündigen und glaublich zu machen hätten, als dass ihr von den Juden gekreuzigter Meister von Gott zum Messias bestimmt sey — — — Sie waren überzeugt, dass sie alle, die ihnen Gehör geben würden, auch dazu aufzufordern hätten, heilige und gerechte Menschen zu werden, aber sie hatten noch keine Ahndung davon, dass man dies nach einer andern, als nach der bisherigen, in ihren väterlichen Geseze vorgeschriebenen Weise werden müsse, oder auch nur werden könne. Es war somit auch noch gar nicht in ihre Seele gekommen, dass irgend jemand durch dasjenige, was sie verkündigten, von dem Judenthum abgeführt werden könnte, ja sie zweifelten nicht daran, dass gerade durch sie das Judenthum am weitesten verbreitet werden dürfte; denn nach ihrer festen Meinung gehörte eben dies zu ihrem nächsten Beruf, dass sie zwar überall in der Welt die Nachricht

evangelii omnino conciperent. Sapientissime hoc moderante Supremo Numine ita institutum esse, grato animo agnoscimus. Nam qum etiamnum finibus Palæstinæ res christiana circumscriberetur, nova religio non sine magnis commodis tradebatur ea forma induta, qua hactenus apostoli in evangelio annuntiando usi erant. Quoniam apostoli ipsi, quum primum exstiterint evangelii Christi præcones, id solum sibi agere videbantur, ut novum avitæ religionis studium in animis hominum excitarent, quin etiam ab ea cogitatione alienissimi erant, per studia sua eversionem eorum, quæ sibi popularibusque semper sancta & reverenda fuissent, præparari, eo confidentius munus sibi demandatum obibant. Ita quoque factum est, ut societas, quam condebant, brevi tempore magnam hominum multitudinem inter Judæos probitate conspicuos sibi conciliaret. Si vero in primordiis civitatis christianæ apostoli religionem Mosaicam per evangelium Christi abrogandam esse declarassent, repudiati fuissent ab iis, qui inter populares saluti obtinendæ maxime essent idonei. — Verum tamen in arctiore illa evangelii Christi notione haud diu versari vel poterant vel debebant. Res ipsæ externæ apostolos quasi per varios gradus eo protrudebant, quo plenam & integram potestatem revelationis christianæ perspicerent. Per gravem enim persecutionem, quæ post mortem Stephani contra sectatores Jesu orta est, semina evangelii per regiones vicinas late dispergebantur (Act. 8, 1 sqq.). Philippus, neglectis opinionibus præconceptis Judæorum, Samaritanis evangelium tradere jam ausus est; quod quum haud sine successu inchoasset, ad finem perductum est per Petrum & Johannem (8, 5-25). Coetus christiani conditi sunt in Judæa, Samaria, Galilæa (9, 31). In ipsa Damascenorum

---

und das Evangelium von dem Messias herum tragen, überall die Menschen, also auch die Heiden zu seinen Anhängern machen, aber dabei die lezten zugleich überall zu Juden machen müssten. *Planck Gesch. des Christenth. in der Per. seiner ersten Einf.* 1 B. 1818 p. 70 sq.

urbe Judæos quosdam Christo nomen jam dedisse, exinde patet, quod Saulus epistolam a Pontifice Summo petiit ad conventus sacros Damascenos perferendam, ut quos ibi deprehenderet Christo addictos Hierosolymam vinctos deducere posset (Act. 9. 2 cfr. 10. 21. 26). Ad Phoeniciam usque, Cyprum, Antiochiam denique Christiani propulsi sunt (Act. 11, 19). Tum rursus Hellenistæ autores exstiterunt majoris in evangelio tradendo libertatis; nam ex eorum numero nonnulli gentilibus quoque (Ἕλληνας, non Ἑλληνιςὰς Act. 11, 20) evangelium tradere cæperunt, quum reliqui Christiani ad solos Judæos se convertissent (μηδενὶ λαλȣ̃ντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰȣδαίοις v. 19). Tandem ipse Petrus divinitus admonitus Cornelium gentilem baptizando in christianam civitatem adscivit (Act. 10). In his hominibus diversissimi generis, quorum multi iis destituti erant prærogativis judaicis, e quibus consortium beneficiorum per Christum partorum pendere existimabatur, singularem evangelii vim eodem modo se exserentem apostoli conspiciebant, quo ipsi eam experti erant (cfr. Act. 8, 17. 10, 44. 11, 15). Fieri igitur non poterat, quin opiniones eorum de necessitate circumcisionis cæterorumque præceptorum disciplinæ Mosaicæ a pristino rigore paullatim recederent. Quum Samaritanos & gentiles evangelio Christi amplectendo eodem sinceræ pietatis & amoris sensu imbutos viderent, quo Christus discipulos suos tanquam certissimo criterio ab aliis dignoscendos esse constituerat (Joh. 13, 35); — nonne dubia oriri debebant, an æterna hominum salus externis quibusdam ritibus adstricta esset, quorum observantia, ut exemplum Pharisæorum satis luculenter ostendebat, non semper juncta esset cum pietate animi? Quo majoris pretii discipuli Jesu internam animi pietatem æstimare didicerant, eo procliviores facti sunt ad pretium rituum externorum ea ratione metiendum, qua fidei probæ in Deum sinceroque in homines amori inservirent. Verumtamen, quominus apostoli externa sacra judaica omnino missa facerent, divina, quam agnoscebant, legis Mosaicæ au-

toritas impediebat. Nam quum religio Christi divinæ esset originis, disciplina vero Mosaica etiam a Deo esset profecta — quomodo abrogatio posterioris cum fide priori habita concilianda erat?

§ 2.

Inter hæc dubia apostoli jactabantur, quum vir exstitit, ad munus Apostoli obeundum modo prorsus singulari vocatus, qui non solum ingenue profitebatur, homines per pietatem animi & fiduciam in gratia divina collocatam vel sine observatione rituum legis Mosaicæ Deo probari posse — verum etiam hanc persuasionem fortissime defendebat: *evangelium Christi, ubi a disciplina Mosaica omnino avocatum fuerit, supremum demum culmen & fastigium ipsius Mosaismi constituere.* Quæ persuasio quum in animis reliquorum apostolorum Jesù aliorumque ejus sectatorum jam variis modis præparata esset, per *Paulum* tamen non solum palam ennuntiata est, verum ita illustrata & ab impetu adversariorum defensa, ut ab hoc tempore evangelium Christi, vinculis illis, quibus antea adstrictum fuerat, liberatum vim suam salutarem plenam & integram exserere posset.

Varie disputatum est de ratione, qua Paulus, juvante Spiritu Dei, eo adductus sit, ut hanc potestatem evangelii Christi prius quam reliqui apostoli perspiceret. Cujus rei causam quum plerique a natalibus atque educatione Pauli inter Hellenistas vel a familiaritate ejus cum literis & philosophia Græcorum mature contracta repetere studerent, ad conjecturas potius confugerunt, quam ad res historia teste comprobatas. Per se quidem non a veri similitudine abhorret, Paulum ut plerosque Hellenistas in liberiorem de rebus sacris sentiendi consuetudinem adductum esse; verum observandum tamen est, non omnes Hellenistas liberiorem Mosaismi interpretationem sequutos esse; constat enim, e numero eorum fuisse, qui cultum leviticum non minus acriter quam Palæstinenses defenderent, Act. 6, 9 sq. 9, 29; ad quod

genus Paulus ipse cum parentibus pertinuisse videtur: pater ejus Pharisæus erat (Act. 23, 6), qui filium admodum juvenem Hierosolymam misit, ut a Pharisæis institueretur (Act. 22, 3 Ἐγὼ.... γεγεννημένος ἐν Ταρσῷ — — — ἀνατεθραμμένος[1]) δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ (Hierosolymis) cfr. 26, 4. 5. Τὴν μὲν οὖν βίωσίν μου τὴν ἐκ νεότητος, τὴν ἀπ᾽ ἀρχῆς γενομένην ἐν τῷ ἔθνει μου ἐν Ἱεροσολύμοις, ἴσασι πάντες οἱ Ἰουδαῖοι); quam arcta Paulo parentibusque ejus cum Palæstinensibus intercesserit ratio, fortasse illinc quoque elici potest, quod, quanquam Hellenistæ erant, se & parentes tamen Ἑβραίους vocat (Phil. 3, 5 Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων cfr. 2 Cor. 11, 22), præsertim quum hanc denominationem sibi & illis fortasse ideo tribuerit, quod lingvam hebræicam callerent (Act. 26, 14. 21, 40), id quod Hellenistis non erat vulgare (cfr. Act. 6, 9). Quam studiosus denique Paulus fuerit disciplinæ pharisæicæ rigidioris, & ex effatis ipsius (Act. 26, 5. 22, 3. Phil. 3, 5. 6. Gal. 1, 14) & ex narratione Lucæ (Act. 8, 58 sq.) constat. — Quod vero familiaritatem cum literis Græcis attinet, quam nonnulli Paulo tribuerunt, hæc minime comprobari potest paucis quibusdam sententiis scriptorum Græcorum, quas Paulus in orationibus vel scriptis passim allegavit (Act. 17, 28. 1 Cor. 15, 33. Tit. 1, 13), præsertim quum ejus generis sint, ut fortasse eo tempore in proverbia vulgo usitata abiissent[2]).

1) Hæc vox jam prohibet, quo minus *Hemsen* (Der Apostel Paulus 1830. p. 6) accedamus, statuenti, Paulum circiter 30 annos natum Tarso Hierosolymas venisse.

2) Quanquam et ipse proclivior sum ad statuendum, Paulum scriptores illos allegatos vere legisse, quippe qui duobus saltem locis vulgari scriptores citandi more usus autores citatos accuratius indicaverit. Quando Tit. 1, 13 versum Epimenidis: Κρῆτες ἀεὶ &c. laudat, hæc præmittit: εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης; compertum igitur habebat, versum laudatum reperiri apud poëtam Cretensem. In Act. 17, 28 verbis citatis: Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν hæc præmittit: τινες τῶν καθ᾽ ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι; sciebat igitur, versum illum apud plures

Si vero, duce historia, Paulum inter Pharisæos versantem respicimus, certius fortasse & simplicius inde explicari potest, quomodo factum sit, ut qui discipulus hostium Jesu fuisset, citius & clarius plenum & integrum consilium Jesu perspiceret, quam hujus ipsius apostoli & sectatores [1]).

Pharisæi — qui non tam ad similitudinem sectæ cujusdam philosophicæ, ut vulgo, præeunte Josepho [2]), existimatur quam, ut scite observavit *Schneckenburger* [3]), ad simili-

poëtas græcos reperiri; jam vero constat, illum legi & in Phænom. *Arati* v. 5 & in Hymno *Cleanthis* in Jovem v. 5. — Verum tamen notitia horum scriptorum ad tempus vitæ Pauli posterioris pertinere videtur, quum inter Græcos diutius & familiarius versaretur.

1) Neque enim diffitendum esse arbitramur, externa illa momenta haud parum contulisse ad animum Pauli efformandum; sed hoc tantum negandum esse nobis videtur, inde jure explicari posse, cur Paulus citius, quam reliqui Jesu apostoli consilium evangelii ab ea parte perspiceret, quæ hactenus hos ipsos latuisset.

2) Ant. XIII, 5. XVIII, 1. Bell. Jud. II, 8.

3) *Die Pharisäer, Religionsphilosophen? oder Ascetiker?* in libro: *Beytr. z. Einl. ins Neue Test. Stuttg.* 1832 p. 69 sqq. — — — Jene Parallele (apud Joseph. l. c.) mit griechischen Philosophen-Schulen wird um so weniger uns bestimmen dürfen, sie in Bezug auf die Pharisäer zu premiren, als Josephus dabei einen bestimmten apologetischen Zweck verfolgte, und nicht selten, wie auch Philo, die Juden überhaupt wegen ihrer bessern Religion und Religionsübung als Philosophen darstellt ...... p. 75. Nur wie man etwa von einer Theologie der Franziskaner und Jesuiten im Unterschied von der katholischen Theologie sprechen kann, darf man auch die pharisäischen Lehrmeinungen von den allgemein jüdischen unterscheiden. Das Unterscheidende besteht nur in einzelnen Uebertreibungen. Die Pharisäer sind die par excellence rechtgläubigen Jüden; die Sadducäer sind dagegen rationalistische Heterodoxen, die Essäer Mystiker. Jam *Stäudlin* (Gesch. der Sittenl. Jesu 1 Th. p. 431 sq.) comparationem instituit Pharisæos inter & Jesuitas, quæ extendi potest etiam ad diversitatem ju-

tudinem ordinis cujusdam ascetici vel monastici revocandi esse videntur — jam a tempore Maccabæorum summa inter Judæos autoritate pollebant. Quum initio omnibus iis virtutibus, quibus ejusmodi ordines, qui hierarchicam aliquam potestatem obtinuerunt, excellere solent, floruissent, procedente tempore, nimia autoritatis & opum terrestrium cupiditas plerosque eorum a pristina morum severitate ad nefandam vitiositatem seduxit, quam tamen oculis populi callide subducere iis contigit. Nam præterea quod nunquam deerant huic ordini viri sincera pietate & virtute ornati, quorum exempla discipuli Pharisæorum, quotquot placitis eorum sincero animo addicti erant, summa cum reverentia suspiciebant, ipsa illa diligentia, qua vel pessimi Pharisæorum præcepta etiam levissima cultus Dei externi observabant, animos hominum *ita* perstringebat, ut major pars populi judaici, quamvis jugo durissimo, quod Pharisæi ei imposuerant, oppressa hanc sectam tamen ut rigidissimam disciplinæ Mosaicæ custodem & vindicem coleret. Quum igitur Jesus, qui clandestinam turpitudinem hujus sectæ perspexit, non solum Pharisæos nequitiæ & simulationis abominandæ accusaret, verum etiam, omni pietate ad animum pio & sincero in Deum amore imbutum revocata, traditiones repudiaret, quibus illi legem Mosaicam corrupissent, acerrimum sibi odium contraxit cum ipsius sectæ tum omnium, qui Pharisæismi nomine præstantissima quæque & quam maxime reverenda comprehendere assueverant. Ad horum numerum Paulus quoque pertinebat. Quum jam a pueris ad eam persuasionem adductus esset, salutem civitatis Israeliticæ contineri observatione legis Mosaicæ, sectam vero Pharisæorum cum statutis suis rigidioribus optimum firmissimumque offerre præsidium legis illius accurate explendæ, gravissima correptus est indignatione, si

---

diciorum, cui utrique obnoxii fuerunt. Cfr. ita descriptionem Pharisæorum, quæ exstat apud Josephum, cum ea, quam exhibent libri N. T.

quis periculum his institutionibus, quæ cum religioni tum civitati judaicæ quam maxime salutares esse viderentur, minaretur. Omnia vero, quæ de Jesu sive audiendo sive videndo [1]) percepit, eo redibant, ut hostis ipsi appareret eorum institutorum, quæ a temporibus usque majorum Judæis semper sancta & reverenda fuissent. Facile enim prævidere licet, Pharisæos studia Jesu nonnisi ab illa parte discipulis suis adumbrasse; neque opus iis erat ad mendacium confugere [2]); sufficiebat narrare, Jesum reverentiam sabbathi violare, lustrationes præscriptas negligere, commercio Samaritanorum & gentilium uti, hosque ipsos Judæis æquiparare audere, obsequium in magistratus gentiles commendare, et alia hujusmodi — hæc satis superque juvenibus Pharisæismo addictis persuadere debebant, Jesum esse hominem impium, qui, nomine Messiæ impudenter sibi arrogato, populum seduceret atque res novas moliretur, toti civitati judaicæ perniciosissimas.

Quum vero ita Paulus Jesum ejusque agendi rationem animo quam maxime hostili consideraret, multa, quæ apostolos amicosque Jesu minus commovebant, ipsum vehementissime afficiebant. Nam quum illi magistrum suum summo opere eo nitentem aspicerent, ut populares ad fervidum pietatis & virtutis studium impelleret, inde facile sibi explicabant, cur præcepta quædam negligeret, quæ, quamvis traditionibus Pharisæorum imperata essent, reapse tamen obstarent, quominus officiis humanitatis in ipsa lege Mosaica præscriptis satisfieret; tanta enim præceptorum vanorum mole disciplina Mosaica per traditionem Pharisæicam aucta erat, ut Judæos saltem moderatiores haud offendere posset, si quis Messiana dignitate ornatus reformationem sacrorum, quæ et ipsa exspectationibus

1) Haud constat, an Paulo contigerit Jesum ipsum doctrinam suam tradentem audire (1 Cor. 9, 1. 2 Cor. 5, 16 ne probant quidem, Paulum conspexisse Jesum hac in terra viventem). Sed fieri non poterat, quin res a Jesu gestæ sæpius commemoratæ fuerint in conventibus Pharisæorum.

2) Cfr. *Schrader der Apostel Paulus* 2 Th. p. 83 sq.

Messianis continebatur [1]), ita instituere vellet, ut disciplinam Mosaicam ad pristinam simplicitatem revocaret. Attamen ipsa illa reverentia, qua tum Jesum ut Messiam tum legem Mosaicam ut revelationem divinam prosequebantur, impediebat, quo minus apostoli in animum inducerent, Jesum id agere vel omnino autorem fore, ut disciplina Mosaica cum cultu templi ritibusque leviticis abrogaretur. Verum Paulo, cui jam persuasum erat, Jesum, qui viris autoritate & sanctitatis fama maxime conspicuis vehementissime adversaretur, non esse verum Messiam, omnia illa, quibus doctrina & mores ejus a disciplina Mosaica rigidiori discedebant, certissima apparebant testimonia, quibus suspicio confirmaretur, quam Pharisæi alere & divulgare studebant: Jesum id agere, ut cultum Mosaicum plane everteret. Quæ persuasio, si forte post discessum Jesu ob eam diligentiam, qua discipuli ejus præcepta disciplinæ Mosaicæ initio observabant, paullo concussa fuerit, fortissime rursus in animo Pauli confirmata est, quum Stephanum diserte profitentem audiret, quod Pharisæi a primordiis rei christianæ semper suspicati erant: evangelium Christi abrogationem cultus Mosaici allaturum esse. Jam nulla amplius Paulo restabant dubia de consilio novæ doctrinæ. Fortasse antea nondum eam attigerat ætatem, ut singulari ullo modo inter reliquos hostes Jesu studium avitæ religionis præ se ferre posset; jam vero juvenis fervidissimi ingenii suum esse judicavit, omnes intendere vires ad sectam perdendam, cujus studia in diem religionem majorum in gravissimum discrimen adducerent. Quo magis sibi ipse conscius erat sinceri, quo duceretur, studii (1 Tim. 1, 13. 14. 2 Tim. 1, 3), eo difficilius sibi persuadere poterat, adversarios honestum sequi consilinm; quare religioni non duxit,

---

1) *De Wette Bibl. Dogm.* 1831 § 201 *Verrichtungen des Messias:* ..... 2) Wiederherstellung, Verbesserung und Verbreitung der Religion (Luc. 1, 73. 74. 2, 32); Reinigung der Sitten (Matth. 3, 11. 12); Reform des Gesetzes (Matth. 5, 17 vgl. Jer. 31, 31 sq.)

homines, quorum ipsa illa patientia & fortitudo, quam fanatismo ejus opponebant, contumacia coeca & diabolica ei videbatur, metu & terriculamentis ad meliorem frugem reducere studere. At quum huic studio enixe incumberet, eventus ille omnino singularis, quem Paulus expertus est, quum Damascum ad Christianos vexandos properaret (Act. IX. XXII. XXVI.), effecit, ut persuasio ejus religiosa gravissimam subito mutationem subiret. Non hujus loci est accuratius in hanc rem inquirere vel eas quæstiones dissolvere conari, quæ hac occasione proponi solent: utrum revelatio Christi, quæ contigit Paulo, interna an externa fuerit, &c. Sufficit monere, non esse, cur statuamus, per illam revelationem, ad quam Paulus doctrinam suam postea semper referebat (Gal. 1, 1. 11. 12. 1 Cor. 9, 1. 15, 9), historicam aliquam sermonum & vitæ Jesu Christi cognitionem impertitam esse. Ad hanc enim comparandam haud opus erat revelatione divina, quum opportunitas ipsi non defuisset gravissima quæque cognoscendi, quæ ad vitam & fata Christi pertinerent. Verum quum antea, quæ Paulus de Christo comperta habebat, nonnisi eam habuissent vim, ut confirmaretur persuasio ejus de Jesu falso Messia, ab hoc tempore eadem illa certissime ei probarunt, Jesum vere fuisse servatorem illum a prophetis V. T. promissum, qui exspectationibus Messianis tali ratione satisfecisset, quæ opiniones omnium Judæorum longe superaret. Per revelationem enim Paulo concessam persuasio, quam jam Pharisæus assecutus erat, de evangelio Christi abrogationem cultus Mosaici adducturo, minime sublata est, verum simul ei patefactum est, quod antea, odio & fanatismo perturbatus, haud perspicere valebat: per destructionem illius cultus viam sterni ad civitatem Dei ex universo hominum genere condendam, in qua omnia, quæ prophetæ vaticinati essent de beatitudine regni Messiani, eventu comprobarentur sensu longe eminentiori, quam ut ab ullo homine unquam animo conceptum fuisset (1 Cor. 2, 9). Per revelationem illam pristinæ Pauli opiniones præconceptæ ve-

luti squamæ de oculis ejus delapsæ sunt (Act. 9, 18). Qui antea ei videbatur Pseudo-Messias, hostis religionis & civitatis judaicæ, is jam ei apparebat filius Dei, legatus cælestis, servator totius generis humani; opera hujus miraculosa, quæ efficaciæ Diaboli Paulus olim adscripserat, jam testimonia ei erant, quibus divina Christi autoritas a Deo esset confirmata; doctrina, quam existimaverat eo tendere, ut omnem religionem pietatemque exstirparet, omnia sacra everteret, effrænatam denique licentiam propagaret — jam evangelium ei erat, quod, jugo legis dirupto, homines in veram libertatem restiturum tyrannidemque peccati, quam lex tollere non valeret, eversurum esset; homines denique, quos fide & religione destitutos, quos impietati nefandæ & contumaciæ atroci deditos esse judicaverat, jam societatem constituentes ei apparebant, per quam vera pietas, vera vita & beatitudo omnibus terræ incolis contingeret.

Quemadmodum vero in monumentis, unde cognitio rerum Pauli haurienda est, haud diserte memoriæ proditum est, per quænam momenta vulgari rerum ordini congrua Paulus, juvante & operante gratia Dei singulari, a priori errore & superstitione ad veritatem evangelii perspiciendam adductus sit, ita frustra quoque quæres, quonam temporis successu vel quonam nexu novæ ideæ, quæ in Paulo ortæ sunt, se invicem exceperint. Quid? dubitari etiam posset, an Paulus omnino per varios gradus ad perfectiorem cognitionem adductus sit, quum primo obtuitu monumenta illa historica, quæ nobis hac occasione consulenda sunt, ad conversionem Pauli miraculosam omnia referre videantur, quæ postea ab eo tradita & explicata sint [1]). Verum tamen plura vestigia sunt, unde conjicere licet, Paulo idem evenisse, quod aliis viris, qui magna quædam molirentur veritatemque novam in lucem proferrent, ut quod esset caput & præcipuum hujus veritatis argumentum uno quasi ictu animum ejus, per quem

1) Observ. tamen Act. 9, 22: Σαῦλος δὲ μᾶλλον ἐνεδυναμοῦτο.

cum aliis communicanda esset, occuparet, singula vero momenta, quæ illo tanquam semine inclusa tenerentur, nonnisi procedente tempore ad plenam perspicuitatem eveherentur.

Paulus quidem mox post conversionem suam Damasci evangelium Christi prædicasse dicitur. (*Εὐθέως ἐν ταῖς συναγωγαῖς ἐκήρυσσε τὸν Ἰησῦν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τῦ θεῦ* Act. 9, 20); sed hæc prædicatio non tam uberior doctrinæ evangelicæ expositio quam testimonium conversionis & fidei fuisse videtur, ad quod publice edendum impelli se sentiebat, quo veritati, cui tam pertinaciter adversatus fuisset, satisfaceret [1]). Tum vero in Arabiam se contulit (Gal. 1, 17). Disputatum quidem est ut de consilio [2]), ita de tempore commorationis Pauli in Arabia; sed quod posterius attinet, non dubitamus iis accedere, qui statuunt, Paulum circiter triennium [3]) ibi transegisse. Quæ igitur in Act. App. 9, 22-25 leguntur, ad tempus referimus, quod, quum Paulus ex Arabia Damascum reversus sit, proxime antecederet primum ejus iter Hierosolymitanum (Gal. 1, 17. 18

---

1) *Olshaus. Bibl. Comment.* in Act. 9, 20. 25. *Anm.* "Sein erstes Predigen in Damaskus ist wohl nur als ein Zeugnissablegen anzusehen, von dem, was Gott an ihm gethan; dergleichen war nothwendig, weil sonst seine Bekehrung den Anschein von etwas Heimlichen bekommen hätte."

2) *Neander (Pflanz. der chr. K.* 1 Th. p. 116), *Hemsen (Der Ap. Paulus* p. 32) arbitrantur, Paulum in Arabiam profectum esse ut evangelium Judæis ibi versantibus traderet. *Schrader (der Ap. Paulus,* 1 Th. p. 54 sq.), *Olshausen (Bibl. Comment. ad* Act. 9, 20. 25), *Köhler (Versuch über die Abfassungszeit der ep. Schr.* p. 41) Apostolum in hanc regionem abiisse existimant, ut in solitudine meditationi melius incumberet; hanc sententiam etiam *Köllner (über den Geist, die Lehre und das Leben Pauli* 1835) pluribus rationibus defendit, quas v. in l. c. p. 35 Not. 2.

3) Cfr. de his rebus *Schott (Erörterung einiger wichtigen chronol. Punkte in der Lebensgesch. des Ap. Paulus)*. *Köhler, Schrader, ll. cc.*

ἀπῆλθον εἰς Ἀραβίαν καὶ πάλιν ὑπέστρεψα εἰς Δαμασκόν. Ἔπειτα μετὰ ἔτη τρία (post conversionem) ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα). Nam hac demum ratione narratio Lucæ in Act. App. 9, 22 sqq., quæ itineris Arabici nullam omnino facit mentionem, cum iis conciliari potest, quæ Paulus ipse Gal. 1. 17 sqq. & 2 Cor. 11, 32 memoriæ prodidit. Si enim statuitur, Paulum per longius tempus Damasci evangelium tradidisse, haud intelligi potest, quomodo factum sit, ut Christianis Hierosolymitanis rerum Paulinarum tanta esset ignorantia, ut, quum Paulus Hierosolymas venisset, omnes Christo addicti ἐφοβοῦντο αὐτὸν, μὴ πιστεύοντες ὅτι ἐστὶ μαθητής (Act. 9, 26). Incredulitas enim vel suspicio his verbis indicata omnino sublata esse debebat, si Paulus per longius aliquod tempus evangelium Christi magno cum successu (Act, 9, 22) Damasci prædicasset. Quid? num opus fuisset, ut Barnabas tum demum apostolis Jesu narraret, quid Paulo accidisset (Βαρνάβας δὲ ἐπιλαβόμενος αὐτὸν ἤγαγε πρὸς τοὺς ἀποστόλους καὶ διηγήσατο αὐτοῖς, πῶς ἐν τῇ ὁδῷ εἶδε τὸν κύριον, καὶ ὅτι ἐλάλησεν αὐτῷ, καὶ πῶς ἐν Δαμασκῷ ἐπαῤῥησιάσατο ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ Act. 9, 27), nisi Paulus mox post conversionem suam consuetudini hominum se subduxisset, adeo ut ex Arabia Damascum non prius reversus sit, quam ut haud ita multo post ex hac urbe Hierosolymam peteret, insidias Judæorum Damascenorum effugiturus — (Act. 9, 25. Gal. 1, 18. 2 Cor. 11, 32) —? Non a veri similitudine abhorret, si quis statuat, Paulum illo tempore inprimis occupatum fuisse ratione sibi accuratius explicanda, quœ christianæ religioni cum disciplina Mosaica intercederet. In hac ratione constituenda quum reliqui Jesu apostoli etiamnum dubii hæsitarent, Paulus, pro singulari illa, quæ sibi contigerit, efformatione ad munus apostolicum obeundum, primus erat, qui veritatem plenam & integram perspexit perspectamque usque ad vitæ finem constantissime ab impetu omnium adversariorum defendit. — Legem Mosaicam divinæ esse originis, Paulus non magis quam reliqui apostoli du-

bitavit; præstantiamque religionis judaicæ ex comparatione cum sacris gentilium instituta nemo ipso melius dijudicare potuit (Rom. 9, 4. Eph. 2, 11. 12). Attamen præter gravissimas illas semperque valituras veritates de Deo hominumque ad eum ratione, præter gravissima illa præcepta de officiis pietatis & humanitatis, quibus religio Mosaica excelluit, in lege divina per Mosen rogata magna quoque præceptorum multitudo continebatur, quæ quomodo cum vera pietate & virtute cohærerent, per se difficillimum erat intellectu. Quid tandem erat conjunctionis pietatem inter atque præcepta levitica de cibis licitis & illicitis, de circumcisione, de vestimentis, de lustrationibus &c.? Hæc omnia nonnisi eo consilio divinitus mandata esse poterant, quam ut populus dictamini sensualitatis nimis obnoxius quovis vitæ momento ad cogitationem de Deo invisibili revocaretur. Quando vero per fidem Christo habitam cogitatio de Deo animis humanis ita insita fuerit, ut quicquid vellent, sentirent, agerent, unice ad Deum Optimum Maximum referrent, quid opus erat præceptis illis, quæ jam per consuetudinem vi sua priore ita plerumque essent destituta, ut nonnisi externum quendam cerimoniarum cultum servarent, spiritu vivifico orbatum? Lex igitur Mosaica, quamvis divinæ originis, nonnisi ad tempus tamen autoritate valere debebat, instar pædagogi, cui pueri sunt subjecti, donec virilem attingant ætatem. Ut juvenes vero, qui sui juris esse debent, externa illa pædagogi disciplina non amplius indigent, immo vero, ea ipsa, si justos limites excedit, prohibentur, quominus homines evadant perfecte exculti, ita totum quoque hominum genus, per Christum in libertatem veram restitutum, non amplius constringendum erat vinculis & jugo disciplinæ Mosaicæ. (Cfr. inprimis epp. Pauli ad Romanos & ad Galatas, ubi hæc mutua legis & evangelii ratio uberius exposita est). Quod quum Paulo clare perspectum sit, in oraculis prophetarum, quorum sensum luce evangelii illustratum nunc demum perspicere sibi videbatur, idem jam indicatum vel prædictum esse summa cum lætitia agnovit,

seque aliis, qui eadem, qua ipse libros V. T. interpretandi ratione uterentur, idem probaturum esse, certissime speravit [1]) (cfr. § 4).

Hanc liberiorem utriusque religionis rationem Paulus fortasse jam eo tempore docendo explicuit, quum ex Arabia redux Judæos Damascenos ad persuasionem de Messiana Jesu dignitate adducere studeret (Act. 9, 22). Quodsi ita fuit, etiam melius explicari potest, cur Judæi eo tempore, quo reliqui Christi sectatores cum Damasci (Act. 9, 25. 22, 12), tum in tota Palæstina (9, 31 αἱ μὲν ὖν ἐκκλησίαι καθ' ὅλης τῆς Ἰȣδαίας καὶ Γαλιλαίας καὶ Σαμαρείας εἶχον εἰρήνην) tranquillitate fruebantur, Paulum tanto furore persequerentur, ut vitæ ejus insidias struerent (Act. 9, 23, 24). Neque tamen cum *Schrader* [2]) statuendum esse videtur, Paulum Damasci jam plenum libertatis evangelicæ usum fecisse, adeo ut etiam gentiles lavacro sacro immergeret. Etenim si cum Schrader (p. 154) statuas, baptismum Cornelii ad tempus pertinere, quo Paulus ad sacra Christiana jam conversus fuerit (— id quod etiam narratio Lucæ in Act. App. testari videtur —), gravissima, quæ inter ipsos Christianos ob hanc rem orta est, perturbatio obstat, quominus existimemus, Paulum jam initio muneris sui apostolici id instituere ausum esse,

1) "Sobald er nur einmal einen schwachen Schein davon erblickte, so konnte es nicht fehlen, dass dem jüdischen Gelehrten auch mehrere der Winke und Andeutungen bemerklich und verständlich werden mussten, (Gal. 3, 8. 4, 22-31), welche schon mehrere der älteren Weisen seiner Nation, oder welche die Gottheit schon durch diese davon gegeben hätte, und nun konnte es ihm so gar nicht schwer werden, sie auch aus mehreren Orakeln ihrer Propheten, und selbst aus mehreren Ereignissen ihrer Geschichte heraus zu erklären, oder heraus zu allegorisiren." *Planck, Gesch. der Chr.* 2 B. p. 127.

2) "Die Verfolgung des Apostels zu Damaskus von Seiten der Juden, wird erst (?) durch die schon an sich wahrscheinliche Annahme, dass Paulus hier Juden und Heiden zum Christenthum bekehrt habe, erklärbar." *Der Apostel Paulus* 2 Th. p. 152.

quod, quum Petrum, quamvis longe majore autoritate inter Christianos conspicuum, in suspicionem gravissimam sociorum fidei suæ postea adduceret, omnium animos a novo apostolo non potuisset non avertere. Omnia, quæ & a Luca & a Paulo ipso memoriæ prodita sunt, potius in eo conveniunt, ut Paulus a vulgari evangelium tradendi ratione nondum ita discesserit, ut offensionem Judæo-Christianis moveret (Act. 9, 25. 2 Cor. 11, 33. Act. 11, 30). Quod enim opinionem attinet a *Schrader l. c.* allatam: Jacobum & Petrum, quum Paulus eos prima vice Hierosolymis conveniret, liberiorem hujus viri rationem cogitandi ægre tulisse, adeo ut dubitarent, an Christiano nomine vere dignus esset, tantum abest, ut confirmetur relatione Lucæ, ut hic e contrario rationem, quæ apostolis illis (Gal. 1, 19 *Πέτρος καὶ Ἰάκωβος* cfr. 9, 27 *πρὸς τὲς ἀποςόλες*) cum Paulo intercederet, tanquam mutua familiaritate conspicuam describat: *καὶ ἦν μετ᾽ αὐτῶν εἰςπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος ἐν Ἱερεσαλὴμ* Act. 9, 28. (cfr. Act. 2, 21). Quum Paulus Damasci versaretur, nonnisi ad Judæos de evangelio Christi verba fecisse videtur: *ἐν ταις συναγωγαῖς ἐκήρυσσε τὸν Ἰησῦν.* Act. 9, 20 — *συνέχυνε τὲς Ἰεδαίες τὲς κατοικῦντας ἐν Δαμασκῷ,* v. 22 —; Hierosolymam profectus *ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τὲς Ἑλληνιςας* (non *Ἕλληνας*) v. 29 —; prædicatio ejus evangelica his verbis describitur: *ἐκήρυσσε τὸν Ἰησῦν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τῦ Θεῦ* 9, 20; *ἐπαῤῥησιάσατο ἐν τῷ ὀνόματι τῦ Ἰησῦ,* v. 27. 28. Hæc *παῤῥησιας* laudatio, quum per se referenda esse videatur ad intrepidum animum, quo Paulus Jesum esse Messiam publice docuit, extendi quidem potest etiam ad liberiorem, quam Paulus proposuerit, evangelii & legis explicationem; attamen hæc qualiscunque docendi libertas nondum a vulgari evangelium tradendi ratione ita deflexerat, ut Paulus, quod hactenus non auditum fuerat, gentiles christianæ civitati per baptismum adscribere ausus esset. Etenim si res ita se haberet, longe majorem inter Christianos perturbationem commovisset. Verum quum

Paulus Damasci evangelium tradere cæpisset, omnes, qui hoc audiebant, nonnisi id mirabantur, quod is, qui antea cultores Jesu vehementissime persecutus esset, exstiterit ipse vindex Messianæ Jesu dignitatis (Act. 9, 21); neque, postquam Paulus Hierosolymis aliquandiu versatus erat, alia fama ad cætus Judææ perlata est (μόνον δὲ ἀκούοντες ἦσαν), quam: Ὅτι ὁ διώκων ἡμᾶς ποτε, νῦν εὐαγγελίζεται τὴν πίστιν, ἥν ποτε ἐπόρθει (Gal. 1. 23). Eandem igitur fidem tradidit, quam hactenus apostoli Jesu tradiderant; hi vero nondum palem professi erant, per evangelium Christi autoritatem legis Mosaicæ sublatam esse. Immo si Christiani Hierosolymitani, qui postea summa cum ægritudine & suspicione famam percipiebant de Cornelio baptizato (Act. 11, 3), jam eo tempore, de quo hoc loco agitur, compertum habuissent, Paulum ejusmodi novas res moliri, certe non novi hujus proselytæ causa in laudes & celebrationes erupissent (ἐδόξαζον ἐν ἐμοὶ τὸν θεὸν Gal. 1, 24).

Quæ quum ita sint, minime tamen negandum esse arbitramur, Paulum jam eo tempore liberiorem suam de oeconomia Veteris & Novi Testamenti cogitandi rationem cum aliis, inprimis cum Petro communicasse. Neque enim inepte statuere licet, sanctos & egregios illos viros, juvante gratia Dei, sibi invicem ita succurrisse, ut alter alterum mutuo auxilio ad perfectam de evangelio Christi notionem *sibi ipsis* & aliis clarius informandam adduceret. Quanquam igitur, testante sacra scriptura, ad revelationem divinam Petro Joppæ versanti concessam (Act. 10, 9 sqq.) proxime referendum est gravissimum illud consilium, quod Petrus in Cornelio gentili baptizando secutus est, non impium tamen esse videtur statuere, sermones cum Paulo collatos haud parum contulisse ad notiones Petri de religione christiana liberius efformandas. Persuasum enim habemus, revelationes divinas nonnisi iis concedi, qui his aecipiendis idonei sint; quid vero impedit, quominus statuamus, Petrum tum iis, quæ inter Samaritanos vidisset, tum iis, quæ a Paulo audivisset,

eo adductum esse, ut revelationem illam a Deo sibi concessam in usum religionis christianæ converteret? Ut vero Paulus prius fortasse incitamentum Petro suggessit, quo hic postea sensum visionis cælestis & vocis cælitus delatæ: Ἃ ὁ θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνε (Act. 10, 15) rite intelligeret, ita Petrus rursus autor erat, ut Paulus munus sibi a Deo mandatum, jam antea perspectum, agendo demum perficere posset. Constat enim, Paulo ipsi per revelationem sibi oblatam injunctum fuisse, ut evangelium gentilibus nuntiaret: Act. 9, 15 Dominus Ananiæ dixit: σκεῦος ἐκλογῆς μοι ἐστὶν οὗτος (Paulus), τοῦ βαςάσαι τὸ ὄνομά μου ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων υἱῶν τε Ἰσραήλ; Act. 22, 14 Ananias verbo Domini Paulo dixit: Ὁ θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν προεχειρίσατο σε γνῶναι τὸ θέλημα αὐτοῦ — — — ὅτι ἔσῃ μάρτυς αὐτῷ πρὸς πάντας ἀνθρώπους, ὧν ἑώρακας καὶ ἤκουσας; Act. 22, 21 Dominus Paulo (ἐν ἐκστάσει) dixit: πορεύου· ὅτι ἐγὼ εἰς ἔθνη μακρὰν ἐξαποςελῶ σε. cfr. Act. 26, 18. Quam exhortationem Paulus certe ita intellexit, ut judiçaret gentilibus, quamvis disciplinæ Mosaicæ expertibus, beneficia per Christum parta offerenda esse. Verum quid efficere valuisset neophytus, ob pristinam agendi rationem Christianis etiamnum suspectus (Act. 9, 26), si, quod nullus apostolorum ausus esset, prius instituere conaretur, quam animi Christianorum satis præparati essent ad mandatum illud divinum justo sensu percipiendum [1])? Jam vero cum per alia multa, quæ Christiani experti sunt, tum inprimis per baptismum Cornelii factum est, ut Paulus ad opus perficiendum aggredi posset, ad quod Deus jam pridem eum destinavit. Nam quum paullo post Hellenistæ quidam evangelium gentilibus Antiochenis tanto

---

1) Præsertim cum exhortationi illi divinæ eundem sensum tribuere liceret, quem verbis Petri Act. 2, 21. 29, coll. 3, 25. 26. subesse ostendimus, de omnibus hominibus ad fidem christianam quidem adducendis, verum ita ut prius disciplinam Mosaicam susciperent.

cum successu tradere cæpissent, ut magna horum multitudo Christo nomen daret, Christiani Hierosolymitani Barnabam Antiochiam legarunt, qui de his rebus cognosceret ecclesiamque novam legibus instrueret (Act. 11, 20-23). Barnabas, qui jam primo cum Paulo congressu aures faciles sermonibus hujus præbuisse videtur (Act. 11, 27), neminem cognovit, qui melius quam Paulus hac in re sibi præsto esse posset; quare Tarsum profectus Paulum inde Antiochiam secum duxit. Ita demum primus cætus cultorum Christi conditus est, qui præceptis disciplinæ Mosaicæ non adstringebatur. (Act. 11, 25, 26) (Χριςιανὸι).

§ 3.

Ut vero multa, quæ ad res apostolicas, antequam *cætus* Ethnico-Christianus conditus sit Antiochiæ, accuratius illustranda pertinerent, in historicis monumentis, quæ nobis adire licet, desiderantur [1]), ita quoque in monumentis illis silentio omnino prætermittitur, quænam ratio cætui Antio-

---

1) Quid egit Paulus triennii vel quadriennii spatio, quod præterlapsum est a tempore, quo Hierosolymis relictis Tarsum petiit (Act. 9, 30) usque dum Barnabas eum Tarso Antiochiam arcessivit (Act. 11, 25)? Otiosus certe non erat. Fortasse evangelium Cilicibus & Syris annuntiavit; nam Act. 15, 41 in secundo itinere magno Paulus dicitur peragrasse *Συρίαν καὶ Κιλικίαν, ἐπιςηρίζων τὰς ἐκκλησίας;* jam vero, quum has regiones in primo itinere non obierit, attamen in hoc secundo deprehenderit, quos *confirmaret* in fide christiana, non temere statuitur, Paulum tempore jam anteriore evangelium ibi prædicasse. Cfr. salutationem in epistola apostolica Act. 15, 23, *τοῖς κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ Συρίαν καὶ Κιλικίαν ἀδελφοῖς* missam. Num vero tum etiam gentilibus evangelium ita nuntiavit, ut eos disciplinæ Mosaicæ observandœ non obstringeret? Hoc plerisque certum esse videtur (cfr. *Schrader* l. c. p. 162. *Neander* l. p. 123). Sed quomodo factum est, ut ii demum Hellenistæ, qui Antiochiæ gentilibus evangelium tradebant, attentionem cætus Hierosolymitani in se converterent?

cheno initio intercesserit cum ecclesia Hierosolymitana. Vicissitudines gravissimæ, ut fit, præter opinionem omnium se invicem excepisse videntur, ut de certa res novas considerandi ratione nondum inter omnes convenire posset. Multi quidem ex Judæis, qui nomen Christi dederant, liberiorem illam amplexi erant evangelii rationem, quæ per Paulum strenue defendebatur, sed alii, ecclesiam Ethnico-christianam conditam esse, non tam probabant, quam ea spe ducti ferebant, fore, ut gentiles, qui Christo nomen dedissent, postea disciplinam quoque Mosaicam susciperent (cfr. p. 10). Sed tempore aliquo præterlapso, quum hæc exspectatio ipsos falleret, fortius instare cæperunt, atque nonnulli ex iis Antiochenos ipsos adibant, diserte declarantes: Ὅτι ἐὰν μὴ περιτέμνησθε τῷ ἔθει Μωϋσέως[1]), οὐ δύνασθε σωθῆναι. Sed eo tempore Paulus & Barnabas jam primum iter religionis christianæ propagandæ causa per magnam Asiæ minoris partem instituerant multosque homines inprimis e gentilibus societati christianæ conciliaverant (Act. 13-14). Quo majora in hoc itinere testimonia favoris divini ex læta evangelii inter gentiles propagatione experti erant, eo molestius importunam illorum Judæo-Christianorum sedulitatem ferebant. Gravissima igitur de his rebus orta est disputatio (Act. 15, 2), quam Antiocheni tandem antistitibus cætus Hierosolymitani cognoscendam dirimendamque tradere constituerunt. Hoc consilio Paulus (qui et ipse, revelatione divina monitus, hujus legationis autor fuisse videtur)[2]) & Barnabas cum aliis non-

---

1) Circumcisionem h. l. commemorari pro observatione totius disciplinæ Mosaicæ, patet ex Act. 15, 24, ubi apostoli & presbyteri Hierosol. illos homines ita describunt: τινὲς — — — ἐτάραξαν ὑμᾶς — — — λέγοντες περιτέμνεσθαι καὶ τηρεῖν τὸν νόμον. cfr. v. 5.

2) Ubi statuitur, id quod multis rationibus commendatur (v. *Schott.* aliosque commentt. in ep. ad Gal.), hoc iter idem esse, cujus mentio fiat in Gal. 2, 1 sqq., necesse est illa ratione concilientur relationes Lucæ & Pauli. Nam quoniam Paulus in

nullis Hierosolymas missi sunt. Ex iis, quæ tum gesta sunt, accuratius dijudicare licet rationem, quæ Paulo cum reliquis Jesu discipulis intercesserit. Quæ quum a nonnullis ita descripta sit, ut reliqui Jesu apostoli judaicarum opinionum tenaciores consiliis & studiis Pauli potius adversati esse quam succurrisse existimarentur [1]), operæ pretium esse videtur, inquirere, an iis, quæ in sacra scriptura hac de re memoriæ prodita sint, illa sententia muniatur. — Relatio de iis, quæ Hierosolymis agebantur Paulum inter cæterosque Jesu apostolos, duplicis generis est. Contigit enim Paulo, antequam ad deliberationes in conventu publico perventum sit, doctrinam, quam inter gentiles traderet, apostolis autoritate maxime conspicuis, Jacobo, Petro, Johanni, privatim (*κατ' ἰδίαν*) accuratius exponere. Quæ huc pertinent, *Paulus* ipse tradidit in epistola ad Gal. 2, 1-11. Tres illi apostoli insignes nihil doctrinæ ejus adjiciendum esse judicarunt, *οὐδὲν προςανέθεντο* v. 6 qua voce significari videtur, præsertim si conferas Act. 15, 28, eos haud plura addidisse, quæ Paulus Ethnico-Christianis imperaret, quam quæ iis jam præscrip-

---

Gal. 2, 1, *'Ανέβην* — ait — *κατὰ ἀποκάλυψιν*, in Actis vero App. res ita traditur, ac si Paulus, cœtu Antiocheno cohortante, iter Hierosolymitanum instituisset: nexus ita constituendus esse videtur. Paulus a Deo monitus iter Hierosolymitanum instituendum esse judicavit, quo accuratius cognosceretur ratio, quæ suæ doctrinæ cum doctrina reliquorum Jesu apostolorum intercederet, ne, si cæteri Apostoli studia sua secum conjungere nollent, aut si rumor ab adversariis excitatus de dissensu magno doctrinæ Pauli cæterorumque Apostolorum latius serperet, vel studia ipsius irrita fierent vel schisma oriretur civitati christianæ perniciosissimum (*μήπως εἰς κενὸν τρέχω, ἢ ἔδραμον* Gal. 2, 2). Quod quum Antiochenis exposuisset, hi eum Barnabamque cum aliis nonnullis (Tito) Hierosolymas legare decreverunt.

[1]) Vehementissime omnium *Schrader (Der Apostel. Paul.* 2 Th. p. 200-219 cfr. p. 344 sq.) in apostolos Judæorum, in Jacobum, in acta denique conventus Apostolici invehitur.

sisset. Persuaserunt sibi, munus Paulo demandatum esse evangelii inter præputiatios tradendi (ἀποςολὴ τῆς ἀκροβυςίας) ut (ɔ: eadem autoritate, qua) Petro munus circumcisos instituendi (ἀ. τῆς περιτομῆς). Dextris datis sollenniter illam cum Paulo & Barnaba inierunt κοινωνίαν, ut hi gentilium, ipsi Judæorum conversionem præcipuam haberent muneris sui partem [1]). Sola hæc conditio addebatur, ut, quamvis Paulus & Barnabas præcipue gentilibus docendo consulerent, numquam omitterent curam pauperum (inter Judæo-Christianos) pecunia collecta adjuvandorum; "ὃ καὶ ἐσπούδασα αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι" — addit Paulus v. 10; id quod ab eo factum esse etiam constat ex 1 Cor. 16. 1. 2 Cor. capp. 8. 9. Rom. 15, 25, sq. Act. 24. 17.

Ut hæc omnia consensum apostolorum indicant, ita idem iis quoque comprobatur, quæ, *Luca* narrante Act. 15, 6-35, gesta sunt in conventu Christianorum publico.

Nam ibi primus omnium Petrus causam libertatis evangelicæ ita dixit, ut oratio ejus (cfr. inprimis vv. 10. 11) [2]) argumentationem, qua Paulus uti solet (cfr. Rom. 3, 20. Gal. 3, 10 al.) in memoriam ultro revocet. Tum, postquam Paulo & Barnabæ copia facta erat enarrandi, quæ miracula Deus per ipsos inter gentiles edidisset, Jacobus orationem habuit, in qua, laudato sermone Petri, libertatem Ethnico-

1) "Sive pueritiam Pauli consideraveris, Tarsi in Cilicia nati & per priores duodecim vitæ annos educati (quam urbem illustrem Græci potissimum in iisque haud pauci cultiores habitarunt), sive singularem ejus in tractandis diversissimis hominum ingeniis dexteritatem, seu denique alacritatem summam, qua libertatem hominis Christiani a lege Mosaica defendit, plura utique vides in Paulo fuisse moderante Numine summo, quæ hunc Apostolum præ cæteris aptum redderent gentilibus convertendis." *Schott., Comm. in ep. ad Gal.*

2) Cfr. *Neander A. G.* p. 149. *Olshaus.* ad l. l. "Dem νομος wird ganz nach paulinischen, wie nach johanneischen Sprachgebrauch die χάρις gegenübergestellt, die in Christo sich offenbarte. Vergl. zu Joh. 1, 17, Rom. 3, 21."

Christianorum ita defendit, ut eandem dictis prophetarum Veteris Testamenti concinere ostenderet. Ex hisce igitur omnibus patet, apostolos unanimi consensu hanc rem egisse. Sed constat porro, Jacobum autorem exstitisse decreti, quod conventus Hierosolymitanus promulgandum esse judicaret: *μηδὲν πλέον ἐπιτίθεσθαι τοῖς ἔθνεσι βάρος πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων, ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων καὶ αἵματος καὶ πνικτȣ̃ καὶ πορνείας* (vv. 28. 29). Hoc decretum quum nonnulli ita interpretati sint, ac si Jacobus cæterique antistites cætus Hierosolymitani vere sibi persuasissent, observationem præceptorum, quæ eo continerentur, jam per se esse necessariam ad salutem obtinendam, exinde testimonium petere voluerunt de dissensu, qui Paulum inter & Jacobum cæterosque doctores Hierosolynitanos obtineret [1]). *Verum* jam ipsa verba cum Jacobi, qui hunc finem orationi suæ imponit: *Μωϋσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τȣ̀ς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγιγωσκόμενος* (v. 21) [2]), tum epistolæ a conventu Hierosolymitano Christianis Antiochenis missæ, in qua abstinentia a rebus supra dictis non tam imperatur, quam commendatur (*ἐξ ὧν διατηρȣ̃ντες ἑαυτȣ̀ς, εὖ πράξετε* v. 29)

---

1) *Schrader* l. c. p. 209 sq. Die Jerusalemsche Gemeine glaubte in ihrem Beschluss den Ausspruch des heiligen Geistes, etwas über jeden Zweifel, jede Abänderung Erhabenes, etwas zur Befolgung Nothwendiges zu haben ..... Aber der Geist des Herrn fehlte der Versamlung (?); ihre Mitglieder trugen noch die Binde um die Augen und hielten für Sünde, was keine Sünde war und für heilig, was nicht heilig war, und wurden bewegt von jüdischen Vorurtheilen, jüdischem Stolze (?)

2) ["Diese Stücke sind theils um so nöthiger, theils um so leichter zu halten], da von Alters her die Bücher Mosis, [in denen auf dieses viel Gewicht gelegt wird] in allen auswärtigen Städten, in denen Synagogen sind, alle Sabbathe öffentlich vorgelesen werden." *Hemsen,* der Apostel Paulus p. 92. De potestate vocis *πορνείας* v. commentatt. in h. l. De fornicatione sensu vulgari accipi non potest.

satis comprobare videntur, rationem hujus decreti repetendam esse ex prudentia, qua caveri voluerint apostoli, ne fastidium Judæo-Christianorum excitaretur, quod haud facile vinci posset, si Ethnico-Christiani sibi permitterent, quod illi a pueris gravissime horrere adsuevissent. Huc referenda est illa necessitas (ἐπάναγκες), quam *Schrader* l. c. ad necessitatem per se absolutam perperam trahit [1]). Quando vero idem vir doctus, apostolos, quum antea nihil adjiciendum esse doctrinæ Pauli statuerent, postea vero hæc præcepta "durissima" adderent, sibi parum constitisse perhibet [2]), observare juvat, Paulum ipsum, quippe qui sedulo caveret, ne Judæi vel Judæo-Christiani temere offenderentur (v. § 7) fortasse eadem illa præcepta, quæ præterea non dura esse viderentur, jam antea gentilibus, quos ad sacra christiana adduxisset, eodem consilio, quo conventus Hierosolymitanus illa rogaverit, observanda commendasse. Sic optime conciliari potest Gal. 2, 6 (οὐδὲν προςανέθεντο) cum decreto in conventu publico promulgato. Verum, utut est, hoc saltem constat, Paulum præcepta a conventu apostolico rogata ecclesiis Asiæ minoris observanda postea commendasse (Act. 16, 4), quod certe non fecisset, nisi observationem eorum cum libertate evangelica bene conciliari posse judicasset. Ex altera quoque parte testimonium consensus apostolorum exinde repetere licet, quod antistites cætus Hierosolymitani in epistola ad Antiochenos missa non solum diserte improbarunt rationem eorum, qui sua sponte (οἷς οὐ διεστειλάμεθα v. 24) Ethnico-Christianis legem Mosaicam obtrudere voluerant, verum etiam Pauli & Barnabæ honorificentissimam fecerunt mentionem (v. 25. 26).

1) "Hier sowohl als auch nach A. G. 21, 25, wo dies Verbot wiederholt wird, wird es als an und für sich nothwendig (ἐπάναγκες) angesehen (In Act. 21, 25 non legitur illud ἐπάναγκες); kein mildernder Zusaz findet sich bei einem so harten Verbot &c." p. 208.

2) P. 205 l. c.

Ita demum res eo perducta est, ut per hoc decretum autoritate omnium apostolorum solenniter confirmaretur illud dogma, (quod Paulus *Eph.* 3, 5. μυςήριον appellat, ὃ ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις ἀποςόλοις ἐν πνεύματι) de æterna salute vel sine observatione disciplinæ Mosaicæ per fidem solam Christo habitam hominibus comparanda. — Attamen nondum omnes sublatæ sunt difficultates, quibuscum Paulo, libertatis christianæ strenuo defensori, conflictandum erat. In decreto apostolico nonnisi de ratione Ethnico-Christianorum agebatur; num vero eadem a lege Mosaica libertas, quæ hisce concessa est, in usum converti posset a Judæo-Christianis, si qui ea uti vellent, ne verbo quidem indicabatur. Paulus quidem certo statuebat, ubi constaret, æternam salutem vel sine observatione disciplinæ Mosaicæ per fidem solam Christo habitam hominibus contingere, omnia, quæ ad cultum leviticum pertinerent, loco τῶν ἀδιαφορῶν habenda esse, adeo ut in illis observandis vel negligendis nullam aliam sequeretur rationem, quam quæ vel prudentiæ vel humanitatis lege præscriberetur (§ 5). Sed constat fuisse multos, qui potestatem decreti apostolici ita restringerent, ut, libertatem a lege Mosaica Ethnico-Christianis quidem concessam esse, Christianos vero, qui natalibus Judæi essent, etiamnum legi Mosaicæ observandæ obstrictos teneri perhiberent. Hanc decreti interpretationem defendebant inter alios nonnulli e Judæis, qui nomen quidem Christi dederant, sed illo tamen errore ducebantur, externæ observationi disciplinæ Mosaicæ per se pretium aliquod tribuendum esse ad favorem Dei conciliandum. De hoc hominum genere, a quorum cogitandi ratione omnes apostoli Jesu alienissimi erant, postea accuratius agendum erit (§ 9). At alii probe quidem tenebant, externæ observationi rituum leviticorum haud ullum competere pretium absolutum, sed persuasum tamen habebant, legem Mosaicam, quippe quæ Judæis a Deo olim rogata esset, etiamnum eos obstringere, qui natalibus

Judæi fidem Christo haberent (§ 8). Hæc evangelii conjunctio cum observatione legis Mosaicæ, quæ initio apostolis omnibusque Jesu sectatoribus fuerat communis (§ 1) salva integritate religionis christianæ ferri poterat, si modo teneretur, homines non per illam legis observationem, sed per fidem in gratia divina collocatam Deo probari. Sed ut olim illa opinio de necessitate, qua omnes omnino Christi cultores legi Mosaicæ obstricti existimabantur, gravissimum objecisset impedimentum, quominus propagatio evangelii feliciore uteretur successu inter gentiles, ita, postquam una Christianorum pars libera ab observatione legis declarata erat, sententia eorum, qui legem Mosaicam Judæo-Christianis etiamnum tanta autoritate valere contendebant, ut hisce non liceret ab ea discedere, periculum afferebat, ne consilium decreti apostolici, quod eo spectaverit, ut Christiani & ex gentilium & ex Judæorum numero sensim coalescerent, irritum fieret. Nihilo tamen minus theologi multi contenderunt, ipsos apostolos Jesu, præter Paulum, eandem decreti apostolici interpretationem defendisse [1]). Provocant hi ad Gal. 2, 12, ubi traditur, τινας ἀπὸ Ἰακώβȣ εἰς Ἀντιόχειαν ἐλθεῖν, qui Petrum reprehenderent, quod convictu Ethnico-Christianorum uteretur; ex hoc enim loco apparere dicunt, Jacobum autorem fuisse, ut illi Judæo-Christiani Petrum (Judæo-Christianum) cogere vellent præcepta levitica observare. Sed ex narratione Pauli l. c. minime colligi potest, homines illos, quæcunque Antiochiæ docerent & facerent, prorsus *ex mente Jacobi* fecisse & docuisse. Quod enim attinet illud ἀπὸ Ἰακώβȣ, hisce verbis nihil aliud significari videtur, quam quod essent illi homines e cætu Hierosolymitano, cui præfuit Jacobus (cfr. *Chrysosthom.* in h. l. "αὐτὸς γὰρ ἦν διδάσκαλος ἐν Ἱεροσολύμοις") [2]). Quæ vero præterea hoc

1) Cfr. *Studer* in *Usteri, Commentar über den B. P. a. d. Gal.* p. 61. *Schrader, al.*

2) Extat locus omnino parallelus in Act. 15, 1 cfr. v. 24, ubi de iis agitur, qui disciplinam Mos. vel Ethnico-Christianis obtru-

eodem loco de *Petro* narrantur, satis comprobant, hunc apostolum ad liberiorem Pauli de rebus judaicis statuendi rationem vere accessisse. Nam antequam Judæo-Christiani illi Hierosolymitani Antiochiam venirent, Petrus familiari Ethnico-Christianorum consortio usus erat, adeo ut etiam communionem epularum cum iis celebraret. Postea quidem consuetudini Ethnico-Christianorum ad tempus se subduxit, timore commotus (φοβέμενος τὲς ἐκ περιτομῆς), ne fieri non posset, ut religio christiana feliciter propagaretur, nisi ad mores Judæorum se accommodaret. Sed in hac ipsa accommodatione persuasionem retinebat, vanam esse sententiam Judæo-Christianorum severiorum, id quod ex verbis Pauli v. 13 constat, qui diserte dicit, Petrum & Barnabam fugienda epularum communione cum Ethnico-Christianis persuasionem *simulasse* (ὑπεκρίθησαν) i. e. persuasionem, quam non haberent, præ se tulisse. Imprudentiam igitur & simulationem, non persuasionem Petri Paulus reprehendit. Petrus enim, quum evitare studeret, ne Judæo-Christianos offenderet, ita se gessit, ut Ethnico-Christianos in errorem de pretio disciplinæ Mosaisæ constituendo facile adduceret (Gal. 2, 14 sqq.)[1].

---

dere volebant; apostoli enim cæterique antistites cætus Hierosolymitani hos homines ita describunt: τινὲς ἐξ ἡμῶν ἐξελθόντες..... attamen mox diserte negant, horum doctrinam a se esse profectam.

1) Sunt, qui putent (v. c. *Stäudlin, Gesch. d. S. J.* 1 Th. p. 720 sq. *Ammon, Die Fortbildung d. Chr.* 2 Abth. p. 42) Paulum eadem reprehensione dignum fuisse, quum Hierosolymis Act. 21, 20 sq. voto Naziræorum suscipiendo suspicionem odii & contemtus, quo cultum Mosaicam prosecutus esse diceretur, a se removere studeret. Sed Paulo, quum hunc ritum suscipiendum eligeret, probare contigit, quam alienus esset a criminatione, quæ in ipsum conjecta esset, læsæ reverentiæ in religionem Mosaicam, adeo tamen, ut omnem simul suspicionem evitare posset, sibi persuasum esse de lege Mosaica Judæo-Christianis necessarie observanda. Votum enim Naziræorum haud ita pertinebat ad disciplinam Mosaicam, ut diserte a

Ne quis denique propterea existimet, Jacobum & Petrum a Paulo discessisse, quod Corinthi factiones ortæ sint, quæ nomine illorum apostolorum appellari vellent (1 Cor. 1, 12 οἱ τȣ̃ Κηφᾶ, οἱ τȣ̃ Χριςȣ (?) cfr. § 9), observandum est, coryphæos illarum factionum fallaciter & per imposturam Petri & Jacobi discipulos se venditasse, quare Paulus eos ψευδαπόςολȣς, ψευδάδελφȣς, ἐργατὰς δόλιȣς, μετασχηματιζόμενȣς εἰς ἀποςόλȣς Χριςȣ̃, καπηλεύοντας τὸν λόγον τȣ̃ Θεȣ̃ &c. appellat, quum Jacobum & Petrum semper non sine reverentia & laude commemoret.

Omnino dubitandum non esse videtur, quin Paulum inter cæterosque Jesu apostolos de vera potestate evangelii ejusque libertatis, quæ per Christum hominibus parta esset, conveniret. Sed pro diversa muneris apostolici ratione ingenioque hominum, quibuscum versabantur, diversam apostoli Jesu in evangelio tradendo sequebantur rationem. Petrus [1]), Jacobus cæterique apostoli, qui ἀποςολῇ τῆς περιτομῆς præcipue incumbebant, pietatem animi eo modo exprimere & præ se ferre pergebant, qui legi Mosaicæ congruebat, quum inter Judæos versarentur, quorum animos offendere nolebant. Paulus vero, qui et ipse, quando inter Judæos versabatur,

---

Judæo exigi posset; si quis igitur Judæo-Christianus hoc voto se obstringi pateretur, inde tantum concludere liceret, eum a sacris Judaicis haud abhorrere, eum hæc digna judicare, quibus pietatem exprimeret, minime vero, eum persuasum habere totam disciplinam leviticam necessarie sibi esse observandam.

1) Silentio omnino prætermittitur, quanam ratione Petrus admonitiones Pauli Gal. 2, 14 sqq. exceperit. Verum argumentatio Pauli in hac epistola ad eam opinionem necessarie ducit, Petrum veritatem eorum, quæ Paulus dixisset, assensu suo comprobasse. Sed ab hoc tempore Petrus, conspecta difficultate, cui munus evangelium gentilibus nuntiandi sibi, natalibus Judæo Palæstinensi, junctum esset, præcipue ἀποςολὴν τῆς περιτομῆς obiisse videtur, quum sentiret, se ea prudentia & ingenii alacritate destitutum esse, qua Paulus excelleret, huic provinciæ præ aliis maxime idoneus.

præcepta levitica observavit, hæc tamen haud raro negligebat, ne gentiles, inter quos plurimum versabatur, animum inducerent — quod arrogantia Judæo-Christianorum multorum facile iis suadere poterat (§ 9) — per observationem legis Mosaicæ præstantiam quandam singularem hominibus comparari (1 Cor. 9. 20, 21. Gal. 4, 12). Quamvis igitur reliqui Jesu apostoli cum Paulo in eo consentirent, per obsequium evangelio Christi præstandum legi Mosaicæ longe melius satisfieri, quam ut ritibus quibusdam externis inhærendum esset, in iis tamen, quæ ad externa legis præcepta pertinebant, suam quisque ingressi sunt viam, quippe qui hæc omnia nonnisi ad regulam prudentiæ & humanitatis referrent. At hac quoque in re Paulus prudentia & animi fortitudine inter omnes excelluit. Rationem enim illam, qua reliqui Jesu apostoli tranquillitati & concordiæ civitatis christianæ optime consuli *posse* judicarent, huic consilio assequendo parum idoneam fuisse, ex iis, quæ postea disputaturi sumus, elucebit. Paulus vero, quum dictis factisque ingenue & aperte doceret, autoritatem disciplinæ Mosaicæ ne Judæo-Christianis quidem amplius valere, gravissimas quidem initio excitavit turbas, sed autor tandem exstitit pacis & concordiæ, quæ sola civitati christianæ prorsus conduceret.

His de rebus Pauli in universum disputatis, propius ad disquisitionem nobis propositam de ratione, quæ huic apostolo cum adversariis ipsius intercesserit, instituendam accedimus. Adversarii Pauli Apostoli omnes ii homines existimandi sunt, qui votis & consiliis ejus, postquam munus doctoris Christiani susceperat, obstabant, qui vel consulto & de industria vel inviti & inscii impediebant, quominus studia ejus læto prosperoque uterentur successu, qui doctrinam ejus vel oppugnabant vel pervertebant, qui denique autores erant odii & suspicionis contra ipsum motæ, donec tandem cruento martyris supplicio rebus humanis insidiisque persecutorum demtus

sit. Adversarii Pauli vel communes erant omnium apostolorum Jesu vel huic apostolo proprii. Ad priorem classem referendi sunt cum Judæi & gentiles, qui fidem Christo detrectabant, tum homines, qui, nomen Christi quamvis professi, vita tamen & moribus servatorem renuebant. Ad alteram classem adversariorum Pauli primum ii numerandi sunt, qui, licet nomen Christo dedissent atque in civitatem Christianam adscripti essent, a doctrina tamen christiana, *qualis a Paulo tradebatur*, magis minusve alieni erant. Ex his vero nonnulli partibus Pauli quidem addicti erant, sed, neglecta temperantia & moderatione ab apostolo præscripta, doctrinam ejus perperam interpretabantur; alii integram doctrinam apostoli, quum eam assequi non possent, amplecti verebantur, quamvis hostili animo in Paulum non essent affecti; alii tandem Paulum ejusque doctrinam vehementissime odio persequebantur. Tum ii adversarii Paulo proprii dicendi sunt, qui in cœtibus vel a Paulo vel a discipulis ejus conditis errores communi Apostolorum doctrinæ obstantes spargere studebant.

CAPUT PRIMUM.

Adversarii, qui Paulo cum reliquis apostolis Jesu erant communes.

---

§ 4.

Judæi.

E multis monumentis constat, quam acerbo odio Judæi fidem Jesu Christo detrectantes sectatores ejus vulgo infestarent. Neque tamen ratio, quæ inter cultores utriusque religionis intercedebat, per se ita erat comparata, ut Judæi Christianos non possent non odio & vexationibus persequi. Primis enim civitatis christianæ temporibus Judæi, qui Christo nomen dederunt, a popularibus suis eo tantum differebant,

quod Jesum agnoscebant Messiam a prophetis promissum, qui autor exstitisset summæ felicitatis, quæ sectatoribus & hac in vita & in futura rerum conditione contingeret. Hæc persuasio multis Judæis, quibus vaticinia prophetarum per Jesum eventu non comprobata esse videbantur, erroris loco haberi poterat, quanquam nulla iis causa videbatur esse, cur secus sentientes vexarent & persequerentur. Quum præterea ipsi Christiani persuasum haberent Jesum nondum plena dignitate Messiana apparuisse, hanc vero gloriosam ejus apparitionem proxime instare, Judæorum haud pauci æquum judicabant exspectare, num forte hæc spes eventu comprobaretur. Exemplum Gamalielis (Act. 5, 34-40) ostendit, inter Judæos vere fuisse, qui hanc moderatiorem cogitandi rationem sequerentur, cujus testimonia plures præterea loci in Actis App. exhibent (cfr. § 1). Sed quum in dies clarius intelligeretur, agnitionem Jesu Messiæ liberiores notiones de ratione disciplinæ Mosaicæ afferre, quum ipsi Christiani τὴν ἐλευθερίαν, ἣν εἶχον ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ (Gal. 2, 4) melius perspicere & æstimare inciperent, fieri non poterat, quin multi Judæorum, qui antea mitiorem de Nazaræis tulerant sententiam, iis accederent, qui novæ sectæ interitum parare studebant. Discipuli Jesu jam non dubitarunt Samaritanos, infensissimos illos Judæorum hostes, sodalitati suæ adscribere; tum ipsos gentiles, qui circumcisionem non subierant, baptismi ritu societati suæ adjunxerunt; tandem decreto conventus Hierosolymitani promulgando omnes, qui fidem Christo haberent, quamvis legem Mosaicam haud observarent, socios regni Messiani declararunt (§ 2 & 3). Hæc omnia, quo majora incrementa civitati christianæ addebant, eo magis metum Judæorum augebant, ne doctrina de Jesu Messia disciplinam Mosaicam serius ocius prorsus tolleret & abrogaret. Una tantum spes afflictis eorum animis solatium quoddam præbuit atque impetus indignationis ipsorum interdum coercere vel mitigare valebat. Quum doctrina evangelii Christi majori semper paganorum numero, inter quos tradi cæpta erat, pro-

baretur, plerique vero Judæorum præsertim Palæstinensium, etiam postquam decretum Hierosolymitanum rogatum est, legem Mosaicam diligenter observare pergerent; quid vero? quum ex ipsis Ethnico-christianis nonnulli, suadentibus Judæo-Christianis, alii, præeunte studio, quo jam antea sacra judaica amplexi fuerant, haud alieni essent a disciplina Mosaica observanda [1]): Judæi non temere spem inde concipere poterant, fore, ut per Christianam religionem via sterneretur ad disciplinam Mosaicam latius propagandam omnibusque tandem hominibus injungendam. In ipsa civitate christiana haud deerant, qui, quamvis Jesu Christo nomen dedissent, præconceptis tamen opinionibus judaicis de pretio absoluto cultus Mosaici externi haud valedicerent. In his, quorum studia postea accuratius illustrabimus, Judæi fiduciam suam potissimum collocabant. Sed eodem tempore, quo hæc perniciosa factio inter Christianos vim suam exserere cæpit, gravissimus ei exstitit adversarius, Paulus Apostolus. Egregius hic vir, quanquam summo studio cavebat, ne quem in rebus, quæ ad externum Dei cultum pertinebant, ita offenderet, ut ab evangelio amplectendo deterreretur; quanquam iis, qui etiamnum religioni ducebant jugum disciplinæ Mosaicæ excutere, et ipse summa cum mansuetudine parcebat et aliis injungebat, ut eadem in eos lenitate uterentur (dummodo illi concederent haud ullum meritum ex observatione legis sibi redundare ad gratiam divinam conciliandam [2]), fortissime tamen eos impugnavit, qui potestatem qualemcunque observationi legis Mosaicæ ad gratiam Dei promerendam tribuerent. Hinc factum est, ut nullum alium doctorem christianum tanto odio Judæi persequerentur, quanto Paulum.

Ostendimus vero in priore disputationis parte, reliquos quoque Jesu Apostolos ad eandem, quam foveret Paulus, sententiam de pretio legis Mosaicæ ejusque ad religionem

---

1) Vide § 5. § 8. § 9.
2) Cfr. § 7. § 8.

christianam ratione paullatim adductos esse, adeo ut quæ sæpius disputata sunt de dissensu quodam Paulum inter cæterosque Jesu legatos specie tantum externa rerum apostolicarum nitantur. Attamen pro diversa muneris ratione diversa ingredienda erat docendi agendique via Paulo cæterisque Apostolis, id quod § 3 illustravimus. Hinc quoque factum est, ut non eadem uterentur sorte inter Judæos. Ita Jacobus per longam annorum seriem cætui christiano Hierosolymitano præfuit, Judæis pariter ac Christianis magno honore habitus, quum Paulus, ubi patriam terram vix attigerat, criminationibus indignis a Judæis notatus per quadriennium gravissimis persequutionibus vexaretur.

Historia Pauli etiam ea de causa maximi momenti est, quod ex ea sola cognoscere licet, quid Judæi post mortem Agrippæ regis contra christianam religionem molirentur. Ab hoc enim tempore autor libri, qui inscribitur Act. App., in rebus Pauli tradendis unice occupatus, nullam omnino controversiarum Judæos inter & Christianos injecit mentionem, nisi ad fata Pauli pertinerent. Judæos vero Palæstinenses etiam post mortem Agrippæ haud defuisse, quominus Christianos, ubi copia facta sit, vexarent, non est, de quo dubitemus (cfr. 1 Thess. 2, 14-16); sed quæ pertinent ad has vexationes accuratius cognoscendas, ad objectiones, quas Judæi doctoribus evangelii opponebant, perspiciendas, *ad insidias*, quas cultoribus Christi struebant, investigandas, nonnisi historia Pauli in auxilium vocata conjiciendo assequi possumus.

Quanquam Paulus, assentientibus reliquis Jesu legatis, apostolicum munus potissimum inter *gentiles* obeundum susceperat (§ 3), hoc tamen non erat impedimento, quominus Judæos quoque doctrinæ evangelicæ conciliare studeret. Immo vero, quæ erat magni hujus viri prudentia, in itineribus evangelii propagandi causa susceptis, ubicumque locorum Judæi versabantur, hos prius adiit doctrinamque evangelicam iis antea exposuit quam ad gentiles se convertit. Hanc rationem, quam Paulus tanquam regulam sibi proposuit (Act. 17, 2),

suadebat cum nexus, quo doctrina evangelii juncta erat religioni Mosaicæ (Act. 13, 46), tum nativus, quo ferebatur Paulus, amor in populares (Rom. 11, 13. 14), tum denique id commodi, quod exspectandum erat propagationi evangelii, si Judæi novam doctrinam fide amplexi eandem traderent gentilibus, inter quos versarentur. Si Apostolus, qui et ipse judaica gente ortus erat, non ad Judæos prius se convertisset, omnino metuendum fuerat, ne suspicionem sibimetipsi contraheret & Judæorum & Gentilium. Verum tamen eandem sortem experiebatur evangelium Christi inter Judæos extra Palæstinam, quam inter Palæstinenses: οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίςευν, Act. 28, 24, adeo tamen, ut, paucis tantum Judæorum fidem evangelio habentibus, longe major eorum pars salutem sibi oblatam contumaciter repudiaret (cfr. ea, quæ gesta sunt Antiochiæ in Pisidia, Act. 13, 45. Iconii 14, 1. 2. Lystræ v. 19. Thessalonicæ 17, 4. Corinthi, 18, 5. 6. 12. Ephesi 18, 19. 19, 9. Romæ 28, 24; quo animo Judæi *Athenienses*, 17, 17. evangelium exceperint, ne verbo quidem indicatur). Causæ hujus incredulitatis eædem erant, quæ Palæstinenses prohibuerant, quominus Jesum Messiam agnoscerent: exspectationibus crassioribus de terrestri regno Messiano renuntiare nolebant, atque præconceptis opinionibus de singulari Israelitarum dignitate imbuti indigne ferebant, quod gentiles ad consortium regni Messiani invitarentur, quamvis earum conditionum expertes essent, quibus Judæi felicitatem illius regni adstrictam fore semper exspectavissent. Quibus omnibus quum adversaretur doctrina de Messia cruci affixo, Paulus 1 Cor. 1, 23 complexum eorum, quæ Judæos ab evangelio amplectendo arcebant, hac formula comprehendit: ἡμεῖς κηρύσσομεν Χριςὸν ἐσταυρωμένον, Ιȣδαίοις μὲν σκάνδαλον.

Auctor Act. App. memoriæ quidem prodidit, quanta contumacia Judæorum plerique doctrinam evangelii respuerent, sed objectiones, quas contra præcones evangelii proferebant, non semper diserte attulit, quum sæpius in his for-

mulis universalioribus acquiesceret: (Act. 13, 45) οἱ Ἰδαῖοι ——— ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ τῦ Παύλυ λεγομένοις, ἀντιλέγοντες καὶ βλαςφημῦντες. (18, 6), Ἀντιτασσομένων δὲ αὐτῶν (τῶν Ἰυδαίων) καὶ βλαςφημύντων. (19, 9), Ὡς δέ τινες (Ιυδαίων) ἐσκληρύνοντο καὶ ἠπείθυν, κακολογῦντες τὴν ὁδὸν ἐνώπιον τῦ πλήθυς. (28, 24), οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίςυν. Ex ipsa tamen narratione rerum a Paulo gestarum vestigia colligere licet, quibus affirmatur, contumaciam Judæorum e causis a nobis jam propositis fuisse repetendam. In Act. Ap. c. 13 legimus Judæos Antiochenos in Pisidia Paulo in synagoga verba facienti aures tam faciles præbuisse, ut eum Barnabamque rogarent, ut insequenti sabbatho[1]) doctrinam evangelicam porro traderent (v. 43); immo, fuisse tum e Judæis tum e gentilibus (proselytis portæ), qui, dimisso conventu sacro, Paulo & Barnabæ confestim se adjungerent, doctrinæ evangelicæ accuratius cognoscendæ cupidi. Sed sequenti sabbatho quum Paulus promisso suo satisfacere vellet, Judæi animum priori benevolentiæ omnino contrarium præ se ferebant. Tantam animorum mutationem ex invidia Judæorum ortam esse, haud obscure innuit Lucas. Verisimile est, Paulum & Barnabam diebus sabbatha interiacentibus opportunitate sibi oblata usos esse ad doctrinam quam plurimis hominibus tradendam. Per totam enim urbem percrebuerat fama de novis doctoribus omniumque excitaverat attentionem, adeo ut die sabbathi constituto fere tota civitas conflueret Paulum auditura (τῷ δὲ ἐχομένῳ σαββάτῳ σχεδὸν πᾶσα ἡ πόλις συνήχθη ἀκοῦσαι τὸν λόγον τῦ θεῦ v. 44). Judæi vero hanc gentilium multitudinem, cui doctrina de felicitate omnibus Jesu Messiæ piis cultoribus ab Apostolis promissa valde arridebat (cfr. v. 48), indigne ferentes (ἰδόντες δὲ

1) εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον ab aliis ita explicatur: *diebus Sabbatha intercedentibus*. Quo jure interpretatio in textu nostro recepta vindicetur, vide *Neander*, *Pflanzung der chr. Kirche* 1 p. 136. *Anm.* 2).

οἱ Ἰουδαῖοι τοὺς ὄχλους, ἐπλήσθησαν ζήλου v. 45) non solum eosdem doctores, quos antea tam benevole exceperant, obtrectare & cavillationibus insectari cæperunt, verum etiam, irritatis mulieribus religioni mosaicæ addictis & proceribus civitatis, adversus Paulum & Barnabam acrem excitarunt persequutionem, ut hos e finibus suis deturbarent (v. 50).

Ut arrogantia ex particularismo theocratico orta Judæos Antiochiam Pisidiæ incolentes ab evangelio Christi fide amplectendo arcebat, ita ex Act. 17, 2 sqq. apparet, doctrinam de Jesu Messia cruci affixo Judæis Thessalonicensibus gravissimæ offensioni fuisse: *ἐπὶ σάββατα τρία διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι οὗτος ἐστιν ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς, ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν.* (v. 2. 3). Nam quod Lucas in ratione describenda, qua Paulus in hac urbe apostolicum munus obiit, argumentationem urget ex effatis V. T. de Messia passionibus & cruentæ morti obnoxio petitam, opinari nos jubet, de hac re gravissimam fuisse quæstionem, in qua versarentur objectiones Judæorum Thessalonicensium.

Corinthi dicitur Paulus Act. 18, 5 *διαμαρτυρόμενος τοῖς Ἰουδαίοις τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν.* Jam vero quum sequenti versu (v. 6) refragatio Judæorum his verbis describatur: *ἀντιτασσομένων δὲ αὐτῶν καὶ βλασφημούντων,* patere videtur, etiam Judæis Corinthiacis doctrinam de Messia in crucem acto indignationem movisse, nam verbum *βλασφημειν* haud infrequens est scriptoribus N. T. de conviciis in Christum dicendis: ita Paulus in oratione coram Agrippa habita de se ecclesiam Christianam olim crudeliter vexante profitetur: *κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτοὺς ἠνάγκαζον βλασφημεῖν* Act. 26, 11; cfr. Jac. 2, 7 *οὐχ (οἱ πλούσιοι) βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ᾽ ὑμᾶς.*

Quum Paulus in secundo itinere religionis christianæ propagandæ causa suscepto Ephesum venisset & in synagoga

Judæorum sermones cum his contulisset, ab iis rogatus est, ut diutius apud ipsos versaretur. Cui voto quum eo tempore haud satisfacere posset, quippe qui Hierosolymas ad festum celebrandum festinaret, promisit, se Deo volente haud ita multo post ad eos esse rediturum. Sed tantum aberat, ut eandem benevolentiam experiretur, quum posteriore vice eos visitaret, ut ab iis digredi reliquosque Jesu cultores separare cogeretur, quos in schola Tyranni cujusdam ab hoc tempore instituit. Si causa quæritur harum vicissitudinum, narratio Lucæ suspicari jubet, ex quo tempore Paulo copia facta fuerit doctrinam suam de regno divino accuratius explicandi, liberaliores ejus de natura & potestate hujus regni notiones sèmper magis animos Judæorum Ephesinorum adeo abalienasse, ut indignatio eorum in acerbum erumperet odium (*εἰςελθὼν δὲ εἰς τὴν συναγωγὴν, ἐπαῤῥησιάζετο, ἐπὶ μῆνας τρεῖς διαλεγόμενος καὶ πείθων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τȣ̃ θεȣ̃*, Act. 19, 8).

Ubi Paulus coram tribunali Festi & Agrippæ constitutus doctrinam, cujus causa odio Judæorum infestaretur, quasi in summam quandam redigere voluit, Judæos sibi propterea vincula & mortem parare diserte fatebatur, quod ipsos pariter ac gentiles ubivis locorum monuisset, ut ad Deum animos converterent factaque ederent emendatione animi digna (*ἀπήγγελλον μετανοεῖν καὶ ἐπιςρέφειν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας. Ἕνεκα τούτων με οἱ Ἰȣδαῖοι συλλαβόμενοι ἐν τῷ ἱερῷ ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι* Act. 26, 20. 21). Igitur propterea quod Judæi doctrinam de Messia, cujus beneficia pietati & virtuti, haud vero externis prærogativis, quibus tantopere ipsi confidebant, adstricta essent, ægre ferebant, Paulum ut reliquos Jesu legatos odio persequuti sunt.

Ad has causas hostilis animi, quo Judæi in Apostolos affecti erant, aliæ quoque accedebant, quæ quidem non omnibus Judæis communes erant, sed iram tamen & invidiam gravissimam certorum quorundam Judæorum excitabant. Con-

stat, multos eo tempore judaica gente ortos per totum terrarum orbem vagantes animos gentilium magicis artibus perstringere studuisse, ut quæstum ex superstitione horum sibi facerent. Ubi vero animis gentilium religio christiana probata est, fieri non poterat, quin fides & autoritas, quam illi impostores sibi arrogassent, prorsus tolleretur. Quantum vero odii inde sibi conflaverint præcones evangelii, per se patet. Huic judaicorum impostorum generi annumerandus est Elymas ille, qui Sergium Paulum Proconsulem Cypriæ præstigiis suis constrictum tenebat, (Act. 13, 8 sqq.), donec Paulus Apostolus efficaciam ejus perniciosam cohibuit justaque poena affecit. Aliud hujus generis præstigiatorum exemplum offert narratio Lucæ Act. 19, 13 sqq.

Interdum metus, ne gentilium suspicionem & injurias sibimet ipsis contraherent, Judæos, qui Jesum esse Messiam persuaderi sibi non patiebantur, commovebat, ut christianos doctores vel ipsi malis vexarent vel apud gentiles crimine accusarent. Quum Demetrius Ephesi tumultum contra Christianos ut inimicos Dianæ excitasset, Judæi Alexandrum quendam protrudebant, qui pro gente sua diceret (Act. 19, 33). Videntur enim id agere voluisse, ut Alexander populo Ephesino, in iram contra contemtores sacrorum gentilium concitato, persuaderet, Judæos non communem cum Christi cultoribus causam agere. — Quum doctrina de Jesu rege Messiano suspicionem magistratuum gentilium facile movere posset, non mirum est, Judæos, qui fidem evangelio Christi detrectarent, ultro hanc criminationem ad tribunalia gentilium detulisse, quod Christiani alium declararent regem, quam Cæsarem, Act. 17, 7. — Sunt etiam qui arbitrentur Judæos Romanos Act. 28, 21 sqq. ignorantiam Pauli & sectæ Christianæ simulasse [1]; quæ simulatio, si vere admitti possit,

---

1) Ita *Tholuck Ausleg. des Br. P. an die Römer. Einl.* p. X. "Die Juden stellten sich nur so, als wüssten sie von den Christen nichts." Cfr. *Hemsen, der Apostel Paulus* p. 598 — — — "so

fortasse e meticulosa quadam circumspectione, ab indole gentis judaicæ non aliena, repetenda est.

Gravissima tamen causa odii, quo Judæi in Christianos ferebantur, hæc semper erat, quod metuebant, ne autoritas legis Mosaicæ per evangelium Christi prorsus tolleretur. Nullus igitur Apostolorum tam acerbo odio ab iis petebatur quam Paulus, quippe qui omnium fortissime libertatem christianam a jugo legis Mosaicæ vindicaret.

Ex Act. App. 21, 21. constat, hunc rumorem de Paulo inter Palæstinenses divulgatum fuisse, "quod omnes Judæos, qui inter gentiles versarentur, ab institutis Mosis docendo abduceret, dum iis præciperet, ne liberos circumciderent ritusve leviticos observarent." Hæc criminatio eatenus a vero aberravit, quod Apostolus nunquam Judæo-Christianis temere injunxerat, ut disciplinam Mosaicam missam facerent. Omnibus mandavit, ut eam sequerentur in lege Mosaica observanda aut negligenda rationem, quam, conscientia teste, coram Deo tueri posse sibi viderentur, (cfr. Rom. 14. 15. 1 Cor. 7, 18. 9, 20). Sperabat quidem fore, ut omnes eam assequerentur persuasionem, qua ipse utebatur, hominem Christianum per Jesum Christum a jugo legis Mosaicæ liberatum esse; sed quicunque nondum hanc persuasionem assecuti essent, iis dissuadebat, ne præceptis legis Mosaicæ negligendis contra conscientiam agerent (Phil. 3, 15. 16. 1 Cor. 8, 10. 12. Rom. 14, 5. 23). Neque tamen diffiteri potuit nec voluit, doctrinam & exemplum suum multos Judæos eo adduxisse, ut salva conscientia disciplinæ Mosaicæ renuntiarent [1]). Religionem enim Mosaicam, ubi luce evangelii rite intellecta esset, per se homines ad hunc scopum non posse non adducere, persuasum sibi habebat aliisque persuadere studebat (Gal. 2, 19. διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον cfr. Act. 26,

---

wenig ist es zweifelhaft, dass sie nicht offen mit der Sprache heraus wollen." Contra, *Olshausen, Bibl. Comment.* 2 ad Act. 28, 17 negat, causam fingi posse talis simulationis.

1) Exemplum luculentum nobis offert Gal. 2, 11. 13. Cfr. § 8 p. 38.

22. 23. 28, 23). Hinc factum est, ut, quamvis autoritatem legis Mosaicæ per evangelium Christi sublatam esse strenue contenderet (cfr. epp. ad Rom. & ad Gal.), omnem tamen criminationem, qua læsæ reverentiæ in legem Mosaicam accusatus sit, constanter a se removeret: Ὄυτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰȣδαίων, οὔτε εἰς τὸ ἱερὸν οὔτε εἰς Καίσαρα [1]) τι ἥμαρτον, Act. 25, 8; ἐγὼ οὐδὲν ἐναντίον ποιήσας τῷ λαῷ ἢ τοῖς ἔθεσι τοῖς πατρῴοις 28, 17. Verumtamen quum criminatio violatæ a Paulo reverentiæ in legem Mosaicam fide digna existimaretur vel Judæo-Christianis (Act. 21, 21), adeo ut remissionem severioris legum Mosaicarum observantiæ ad Paulum autorem referrent, quanquam nonnisi sequela esset necessario oriunda ex evangelio Christi & ex ipsa religione Mosaica rite intellecta, quid mirandum est, Judæos fidem evangelio detrectantes Paulum ita descripsisse: ὁ ἄνθρωπος, ὁ κατὰ τȣ̃ λαȣ̃ καὶ τȣ̃ νόμȣ καὶ τȣ̃ τόπȣ τȣ́τȣ πάντας πανταχȣ̃ διδασκών Act. 21, 28. Similes de Jesu & de Stephano sententias olim tulerant (cfr. § 1).

Quibus omnibus perspectis, facile intelligi potest, cur Judæi fidem doctrinæ Pauli detrectantes, contumaciam suam eo usque protenderent, ut vitam ei adimere studerent. Sed quum moderante Supremi Numinis sapientia res Judæorum eo tempore, quo evangelium propagari cæptum est, ita jacerent, ut odio suo in sectam Nazaræorum non pro arbitrio satisfacere possent, inimicis Pauli opus erat, ut animos gentilium contra Apostolum irritarent, si adversarium suum per-

---

1) Hæc posteriora verba egregie illustrant priora. Paulus enim edictis Cæsaris eatenus quidem obsequium non præstitit, quatenus novam religionem nuntiavit (v. § 5) sed quum hæc religio, accuratius spectata, non esset nisi complementum & fastigium religionis judaicæ (v. p. 60), cujus liberum cultum edicta Cæsaris permittebant, criminationem, qua accusatus sit: ἀπέναντι τῶν δογμάτων Καίσαρος πράττειν (Act. 17, 7) suo jure repellere potuit. (Cfr. rationem, qua usus est Paulus in evangelio tradendo Atheniensibus, § 5).

dere vellent. Distingvendum igitur est inter eas rationes, quibus Judæi in Paulo persequendo vere ducebantur, atque eas, quas publice coram gentilibus profitebantur, ut animos horum exacerbarent; posteriores enim haud raro fictæ erant. Quæ quum ita sint, eas sequenti demum paragrapho illustrabimus, hac sola observatione addita, præcipuam rationem, quam Judæi odio suo coram gentilibus prætexerent, Paulum nimirum esse hominem novarum rerum studiosum, qui alium quam Cæsarem proclamaret regem (Act. 17, 7. 24, 5), tantum a vero abesse, ut e contrario Judæi Paulum & Messiam, quem hic apostolus prædicavit, propterea repudiarent, quod votis ipsorum de terrestri rege haud satisfecissent.

Ea denique criminatio, cujus causa Paulus Hierosolymis in vincula conjectus est, per se quidem falsa erat, verum multis Judæis eo facilius probata est, quo iniquius de Apostolo statuere assueverant. Accusatus enim est, quod sacra judaica profanasset gentilibus in templum inducendis Act. 21, 28. 24, 6. *Ἦσαν γὰρ* — ait Lucas Act. 21, 29 — *προεωρακότες Τρόφιμον τὸν Ἐφέσιον ἐν τῇ πόλει σὺν αὐτῷ, ὃν ἐνόμιζον ὅτι εἰς τὸ ἱερὸν εἰςήγαγεν ὁ Παῦλος.*

Tandem quum haud contigisset Judæis Paulum vita privare criminationibus falsis in eum conjiciendis, insidias clandestinas vitæ ejus struebant (Act. 23, 12 sqq. 25, 4) quibus etiam clarius perditam causam suam prodebant.

Verum ut justa de adversariis Pauli feratur sententia, opus quoque est, ut in rationem inquiramus, qua Paulus ipse cum iis egerit. Haud raro enim homo pietate & animi magnitudine conspicuus propterea odium æqualium sibi conflavit, quod in consiliis quamvis honestis & salutaribus sequendis ingenia, mores, opiniones eorum, quibus studia sua probare voluit, non satis respiciebat. Interdum homines magni animi, qui alios ad optima quæque ducere studebant, nihil proficiebant, quod ea constantia, ea mansuetudine, iis denique virtu-

tibus destituti erant, quibus opus est, ubi agitur de animis hominum ita conciliandis & efformandis, ut vita & mores eorum prorsus immutentur. Fuerunt tandem strenui veritatis & virtutis custodes ac vindices, qui in eo peccarent, quod adversarios suos conviciis & injuriis prius lacessebant, quam animos eorum flectere & commovere conati sunt; quo facto non solum egregii illi viri interitum præcipitem sibi ipsi parabant, verum etiam studia eorum honestissima fructu, quem exspectaverant, carebant. Si vero rationem, qua Paulus cum iis hominibus versatus sit, qui a partibus ejus essent alieni, accurato & severo subjicias judicio, intelliges, eum a culpa illorum omnium fuisse immunem virtutibusque contrariis adeo excelluisse, ut contumacia adversariorum ejus non posset non in gravissimam incurrere reprehensionem.

Respiciamus igitur primum rationem, qua Paulus inter *Judæos* versatus sit. Ibi rursus distingvere licet inter rationem, qua Judæos evangelio Christi conciliare, atque eam, qua indignationem eorum ex evangelii prædicatione sibi oriundam, imminuere & tollere studebat.

Desiderantur monumenta idonea, unde accuratius cognoscere licet, quanam ratione Paulus, primo tempore postquam ad sacra Christiana conversus fuit, evangelium Christi Judæis tradiderit; constat tantum, eum tam felici successu usum esse in objectionibus Judæorum Damascenis (*συνέχυνε τȣς Ἰȣδαίȣς τȣς κατοικȣ̃ντας ἐν Δαμασκῷ* Act. 9, 22) & Hierosolymitanis (v. 29) confutandis, ut hi ad ea arma, quæ fanatismus suppeditare solet, apertam violentiam atque insidias clandestinas, confugerent. Sed in Act. Ap. c. 13 Lucas specimen uberius prædicationis Pauli exhibuit, quod exemplo inservire potest ejus rationis, quam Apostolus ingredi solebat Judæis doctrinam evangelicam probaturus. Hoc enim monumentum fere omnia complectitur argumenta, quæ in reliquis orationibus Pauli passim reperiuntur; hæc vero omnia ejus generis sunt, ut attentionem Judæorum illorum temporum

quam maximam excitare deberent, si iis vere curæ fuisset animorum saluti rite consulere.

In illo loco, Act. 13, 16-41, Paulus inducitur verba faciens ad Judæos Antiochenos in Pisidia eosque, qui sacris judaicis addicti, synagogam eorum celebrabant.

Paulus primum id agit, ut attentionem & fiduciam audientium sibi conciliet commemorandis beneficiis, quibus Deus majores Judæorum ornasset [1]); qua expositione præmissa viam sibi parat ad beneficia illustranda, quæ per Jesum Messiam contigerint.

Inter ea argumenta, quibus probare studet, Jesum vere fuisse servatorem illum divinum a prophetis promissum, primum affert testimonium Johannis Baptistæ (v. 24). Quanta autoritate Johannes Baptista inter Judæos valeret, jam exinde patet, quod proceres Judæorum eum divinitus missum inficias ire non ausi sunt, quum Jesus Christus quæstionem iis proposuisset: τὸ βάπτισμα Ἰωάννȣ πόθεν ἦν; ἐξ ȣ̓ρανȣ͂ ἢ ἐξ ἀνθρώπων; Matth. 21, 25. 26. (Cfr. *Joseph. Ant.* 18, 5). Famam Johannis etiam extra Palæstinam per discipulos ejus late divulgatam esse, apparet ex Act 18, 24, ubi memoriæ proditum est, Apollinem Judæum Alexandrinum in synagoga Judæorum Ephesinorum doctrinam Johannis de Messia prædicasse; cfr. Act. 19, 2 sqq., ubi traditur, Paulum in Asia minori alios deprehendisse homines, qui et ipsi εἰς τὸ βάπτισμα Ἰωάννȣ baptizati essent. Ex hisce locis præterea apparet, quam arcta intercesserit ratio doctrinam Johannis inter & evangelium Christi; nam de Apolline Lucas testatur: "Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τȣ͂ κυρίȣ· καὶ ζέων τῷ πνεύματι, ἐλάλει καὶ ἐδίδασκεν ἀκριβῶς τὰ περὶ τȣ͂ κυρίȣ, ἐπιςάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννȣ 18, 25. Idem

1) *Olshausen* ad h. l.: Der Jude hört (damals wie heute) nichts lieber, als die Erzählung der Gnadenführungen Jehovas mit seinem Volk, daher bildete eine solche historische Recapitulation eine naturliche captatio benevolentiæ. Cfr. orationem Stephani 7, 2 sqq.

autor Aquilam & Priscillam, qui Apollinem sacris Christianis initiarunt, hoc munus obeuntes ita describit: ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν τῦ θεῦ ὁδὸν (Act. 18, 26). Constat igitur ex hoc loco sicuti ex cap. 19, 4, rationem inter prædicationem Johannis Baptistæ & doctrinam Christi ita constitutam fuisse, ut hæc illius quasi complementum esset; id quod ea quoque confirmatur observatione, discipulos Johannis Baptistæ Act. 19, 2 eodem nomine (μαθηταὶ) appellari, quod Christianis proprium esse solet in Actis App. (Act. 6, 1. 2. 11, 26). Suo jure igitur Paulus coram Judæis ad testimonium Joh. Bap. provocavit.

Gravissimum tamen argumentum pro Messiana Jesu dignitate Paulus ut omnes apostoli e vaticiniis Veteris Testamenti repetebat. His vaticiniis spes Judæorum de redemtione futura nitebatur; ad hanc normam exploranda erant criteria veri Messiæ. Omne igitur studium eorum in his vaticiniis interpretandis & exornandis collocatum erat. Attamen plerique Judæorum, quæ erant exspectationes eorum sensuales de regno Messiano, animum nonnisi ad eos locos advertere soliti erant, quibus descriptio contineri existimaretur felicitatis & splendoris externi aureæ illius ætatis, cujus autor Messias exstiturus esset. Eos vero, quibus divina Jesu legatio vita, factis & resurrectione ejus jam ita probata est, ut cum agnoscerent Messiani, institutio ipsius servatoris (Luc. 24, 26. Act 1, 3) et res plane singulares, quarum testes fuerant, ad ejusmodi locos Veteris Testamenti præcipue considerandos adduxerunt, quibus Messias per passiones demum & mortem triumphum sibi parans sisteretur. Quæ quum ita sint, Paulum quoque in eo occupatum videmus, ut doceat, ignominiosam Jesu mortem, quæ Judæis primo obtuitu gravissimæ offensioni esset, in V. T. jam prædictam et nuntiatam esse (cfr. Act. 17, 3. ἐπὶ σάββατα τρία διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, ὅτι τὸν Χριςὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναςῆναι ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριςὸς Ἰησῦς, ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν cfr. 26, 22. 23.

28, 23. 1 Cor. 15, 3). Sed in hac argumentatione utenda Paulus non eam sequi poterat libros sacros interpretandi rationem, quam nos commendare solemus. Hæc enim parum satisfecisset desiderio popularium ejus, quippe qui allegorica & typica sacrorum monumentorum explicatione maxime delectarentur. Quum nobis igitur argumentatio e vaticiniis prophetarum V. T. petita eo valere videatur, ut appareat, quomodo Supremo Numine autore spes de Messia a prophetis excitata & nutrita operi hujus legati divini præparando & muniendo inserviret, Judæi in singulis sacræ scripturæ locis subsistentes typos & prædictiones quærebant, quas vita & fatis Jesu Messiæ expressas videre cuperent. Hinc quoque factum est, ut Paulus, quem in judaica libros sacros interpretandi ratione versatissimum fuisse scripta ejus satis docent, haud raro ad certa quædam effata librorum V. T. provocet, quæ, si singulas voces potius quam nexum orationis spectes, probent, singula quæque momenta historiæ Jesu omnino respondere dictis prophetarum. In oratione igitur ad Judæos Antiochenos habita Apostolus non in universaliore rerum consideratione subsistit, quæ doceat, mortem Christi jam in V. T. esse prædictam verum etiam demonstrare studet, ipsam contumaciam populi Hierosolymitani, cui Jesus succubuerit (v. 27), quid vero, ipsum supplicium turpissimum, quo a gentilibus affectus fuerit (v. 28. 29.), vaticiniis veterum prophetarum explendis inserviisse.

Quemadmodum vero offensio, quæ ex indigna sorte, qua Jesus usus erat, Judæis oriri poterat, removebatur, ubi intellectum fuerit, effata sacrorum vatum hæc inter criteria Messiæ jam indicasse, ita resurrectio Jesu e mortuis omnia dubia, quæ etiamnum superessent de Messiana ejus autoritate, tollere debebat. (Act. 13, 31. 33).

Huic igitur argumento, cujus potestatem Paulus confirmare studebat demonstrando, etiam hanc rem indicatam fuisse a prophetis V. T. (Act. 13, 31-38. 26, 7. 22. cfr. 1 Cor. 15, 4), non potuit non summam vim tribuere, adeo ut semper

ad hoc tanquam fulcrum & fundamentum firmissimum persuasionis de divina Jesu legatione rediret. *Εἰ δὲ Χριςὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ πίςις ὑμῶν* 1 Cor. 15, 14. Constat quoque ex orationibus Petri (Act. 2, 24 sqq. 3, 15. 26. 4, 10.) aliisque monumentis, quemnam præcipuum locum resuscitatio Jesu reliquis ejus legatis tenere videretur inter argumenta, quæ afferre solebant divinam magistri sui autoritatem probaturi. Nam hoc argumentum, quod etiamnum nostris temporibus firmissimi præsidii loco habendum est contra sententiam eorum, qui totam narrationem de rebus Jesu in mythicum poëma convertere student, eo tempore tanto gravioris ponderis erat existimandum, quo major copia hominibus illius ævi facta erat certissimam explorationem de illo eventu instituendi. Hinc quoque factum esse videtur, ut Paulus præsertim coram judicibus Palæstinensibus iterum iterumque ad resurrectionem Jesu e mortuis recurreret, persuasissimum habens, efficacius non esse argumentum, quo adversarii nominis Christiani in ipsa terra degentes, ubi tot fuissent testes rerum a Jesu gestarum (— *οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο* Act. 26, 26 —), erroris convincerentur. Ubi igitur, jubente Lysia chiliarcha, coram synedrio Hierosolymitano constitutus causam suam dicturus erat, ab hac re defensionem suam exorsus est: *Ἄνδρες ἀδελφοί, ἐγὼ φαρισαῖός εἰμι, υἱος φαρισαίω· περὶ ἐλπίδος καὶ ἀ ν α ς ά σ ε ω ς ν ε κ ρ ῶ ν ἐγὼ κρίνομαι.* Act. 23, 6. Sunt quidem, qui Paulum apologiam suam hoc loco non tam plenæ veritatis quam prudentiæ legi accommodasse existiment, quum criminatio, quæ in Apostolum fuisset conjecta, proprie in eo versaretur, quod templum profanasset gentilibus in id introducendis (Act. 21, 28 cfr. 24, 6); Paulum igitur, attentionem judicum suorum consulto ab illa criminatione revocare voluisse ad eam partem doctrinæ suæ, de qua, vel nulla ratione Christi habita, dissensum gravissimum inter judices suos e Pharisæis & Sadducæis mixtos obtinere probe teneret, ut hoc modo rixam inter judices

ipsos excitaret, qua flagrante ipse indicta causa incolumis evaderet. Sed hæc rem nostram considerandi ratio non omnino justa censenda est. Paulus criminationem illam, qua potissimum accusatus vinculis traditus erat, suo jure hoc loco omittere poterat; nam non solum per se falsa erat, verum etiam, ut audivimus, causa inimicitiæ Judæorum longe altius erat repetenda: non tam de certo quodam facto, quam de doctrina Pauli in universum agebatur. Itaque si causam suam dicere voluit, prudentia non magis quam ipsa rei veritas flagitare videbatur, ut ab eo argumento initium faceret, quod cum per se firmissimi existimandum esset præsidii, tum ita comparatum esset, ut jam ex aliqua parte nonnullis saltem judicum probaretur. Quotquot enim judicum Pauli placitis Sadducæorum non erant addicti, negare non poterant, fieri posse, ut homo mortuus in vitam rediisset. Sadducæis quidem valuit: *νεκροὶ οὐκ εγείρονται, οὐδὲ Χριςὸς (Ἰησῦς) ἐγήγερται*, 1 Cor. 15, 16; ab iis igitur sententia de doctrina Pauli jam, antequam causam diceret, lata erat; sed cum Pharisæis se agere posse recte judicavit Apostolus, quippe qui Jesum quidem in vitam resuscitatum esse, haud vero resuscitationem hominis mortui in universum negare auderent [1]). Concedentibus igitur mortuorum resurrectionem sperare quoque potuit, fore, ut probaret resurrectionem Jesu. Huc igitur referenda esse videntur verba: *Γνὺς δέ ὁ Παῦλος, ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐστι Σαδδυκαίων, τὸ δὲ ἕτερον Φαρισαίων, ἔκραξεν ἐν τῷ συνεδρίῳ..... περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι*, Act. 23, 6. Neque hanc Pauli exspectationem exitus rei fefellit, quum multi synedrii assessores e secta Pharisæorum declararent: *Οὐδὲν κακὸν εὑρίσκομεν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τούτῳ· εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ ἢ ἄγγελος.....* Quod vero Paulo non proposita fuit mutua, quæ sequebatur, judicum exacerbatio, eo quoque confirmatur, quod hæc altercatio Paulum in summum vitæ discri-

---

1) Cfr. *Planck, Geschichte des Christenthums* 2 B. p. 75.

men adduxit, (Act. 23, 10) unde chiliarcha tandem cum militibus suis eum liberavit.

Accusatus nomine Judæorum a Tertullo coram tribunali Felicis Paulus adversarios suos jussit proferre, si quid injuriæ in ipso reperissent, nisi quod coram synedrio declarasset: *ὅτι περὶ ἀναςάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι σήμερον ὑφ᾽ ὑμῶν* (Act. 24, 21). Ita Paulum reperimus coram synedrio (23, 6), coram Felice (24, 15. 21), coram Festo (25, 1 sqq.) coram Agrippa (26, 7. 23) ad resurrectionem Jesu provocantem, ut appareat, hoc argumentum firmissimum ipsi existimatum esse præsidium autoritatis Jesu vere divinæ. Ne vero quisquam offendatur, quod Paulus in Act. 23, 6 & 24, 21 plurali numero usus sit: *περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν*, observare juvat, hoc inde explicandum esse, quod a commemoranda mortuorum resuscitatione in universum, viam sibi parare voluerit ad probandam resurrectionem Jesu [1]). Hunc nexum præter alia docet oratio ad Agrippam habita, quæ, quum & ipsa incipiat a commemoranda mortuorum resurrectione (*Τί; ἄπιςον κρίνεται παρ᾽ ὑμῖν, εἰ ὁ θεὸς νεκροὺς ἐγείρει* Act. 26, 8), desinit in mortem & resurrectionem Christi laudandam (v. 23). Quid vero? Ipsi magistratus Romani, quanquam controversiam Judæos inter & Paulum non omnino comprehendere valebant (Act 23, 26-30. 25, 18-21), hoc tamen compertum habebant: *ζητήματα τινα εἶχον — — — περὶ τινος Ἰησοῦ τεθνηκότος, ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν* (25, 19).

Sed ut Paulus potestatem hujus argumenti confirmabat,

---

1) "Die Pharisäer verstehen auch sehr wohl, dass er hier nicht im Allgemeinen von ihrem Glauben an Auferstehung der Todten rede, sondern von einem bestimmten Falle, wie man aus den zu den Sadducäern gesprochenen, wenn gleich wegen des Aufstandes dieser abgebrochenen Worten: *Οὐδὲν κακὸν εὑρίσκομεν κ. τ. λ.* ersieht. Cfr. Act. 17, 32 *ἀκούσαντες ἀνάςασιν νεκρῶν*" (— Paulus coram Atheniensibus de Jesu in vitam resuscitato loquutus erat —). *Schrader, der Apostel Paulus* 2 Th. p. 353.

demonstrando, etiam resurrectionem Christi fuisse a prophetis V. T. prædictam, ita totam omnino oeconomiam Christianam Judæis probare studebat non ut novam aliquam religionem, sed ut fructum & fastigium theocratiæ judaicæ. Igitur totus in eo erat, ut ostenderet, non solum persona, vita, fatis Jesu Christi, verum etiam placitis religionis & præceptis morum, quæ evangelio Christi continerentur, vaticinia V. T. eventu esse comprobata. Quomodò Paulus cum (Judæo-)Christianis agens hanc demonstrandi rationem per singula eundo vindicaverit, omnes literæ ejus, præcipue tamen quæ ad Romanos & ad Galatas sunt conscriptæ, accuratius docent. Verum ex ipsa quoque narratione Lucæ de religione christiana per Paulum Judæis tradita satis elucet, nexum arctissimum religionem Mosaicam inter & Christianam semper animo Apostoli obversatum esse, quum ad illum animos Judæorum sæpissime revocare studeret. Nolebat omnino professionem fidei christianæ considerari ut defectum a religione Mosaica, quum e contrario, fidem Mosi habitam non posse non ad fidem Christo habendam adducere, autore ipso Jesu (cfr. Joh. 5, 46), constanter doceret. Coram Felice procuratore Romano Paulus profitetur: *Ὁμολογῶ δὲ τοῦτό σοι, ὅτι κατὰ τὴν ὁδὸν, ἣν λέγουσιν αἵρεσιν* (ↄ: *τῶν Ναζωραίων* v. 5), *οὕτω λατρεύω τῷ πατρῴῳ θεῷ, πιστεύων πᾶσι τοῖς κατὰ νόμον καὶ τοῖς ἐν τοῖς προφήταις γεγραμμένοις* Act. 24, 14; — coram Festo: *ὅτι οὔτε εἰς τόν νόμον τῶν Ἰουδαίων οὔτε εἰς τὸ ἱερὸν τι ἥμαρτον,* Act. 25, 8; coram Judæis Romanis: *ἐγὼ οὐδὲν ἐναντιον ποιήσας τῷ λαῷ ἢ τοῖς ἔθεσι τοῖς πατρῴοις.* Act. 28, 17. Hæc de se Apostolus non prædicare potuisset, nisi persuasum haberet, liberiorem docendi agendique suam rationem omnino consentaneam esse religioni Mosaicæ rite intellectæ. Ut Christus olim docuerat: *Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι,* Matth. 5, 17; ita Paulus docuit: *νόμον οὐ καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν* (Rom. 3, 31),

id quod non alium sensum admittere potest, quam quod christiana religio, neglectis omnibus, quæ ad essentiam religionis mosaicæ non pertinent, eam efficiat cogitandi agendique rationem, quæ conspiret essentiali doctrinæ Mosis sive Mosaismo ideali. Paulus ad Agrippam verba faciens iterum iterumque ad testimonia Mosis & prophetarum ita provocat, ut doceat, nihil se profiteri vel tradere, quod illis non contineatur: *μαρτυρȣ́μενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ οὐδὲν ἐκτὸς λέγων, ὧν τε οἱ προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι, καὶ Μωϋσῆς· εἰ παθητὸς ὁ Χριϛὸς, εἰ πρῶτος ἐξ ἀναϛάσεως νεκρῶν φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι,* Act. 26, 22. 23. Pro certo habet, si quis prophetis fidem habeat, eum non posse evangelio Christi fidem detrectare: *Πιϛεύεις, βασιλεῦ Ἀγρίππα, τοῖς προφήταις; Οἶδα, ὅτι πιϛεύεις* —— 26, 27. Postquam Romam captivus ductus erat, proceribus Judæorum ad se arcessitis *ἐξετίθετο διαμαρτυρόμενος τὴν βασιλείαν τȣ̃ Θεȣ̃, πείθων τε αὐτȣ̀ς τὰ περὶ τȣ̃ Ἰησȣ̃, ἀπό τε τȣ̃ νόμȣ Μωϋσέως καὶ τῶν προφητῶν.* Act. 28, 23.

Ex hisce omnibus præterea apparet, Paulum nonnisi via persuasionis evangelio sectatores conciliare studuisse omnibusque modis id egisse, ut non sibi, sed verbo Dei fidem habentes Judæi adducerentur ad doctrinam Christi amplectendam. Laudantur igitur Judæi Beroenses, *οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον μετὰ πάσης προθυμίας, τὸ καθ᾽ ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφάς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως.* Act. 17, 11.

Neque facile quisquam melius Paulo animos cum Judæorum tum omnium hominum ita commovere valebat, ut sensus culpæ & miseriæ, cui propter peccatum succumberent, necnon intimum, quod inde oriri deberet, redemtionis desiderium excitaretur & reviviseceret. Cujus rei quum epistolæ ejus testimonia luculentissima exhibeant, hoc loco (ubi de ratione Pauli cum Judæis, non cum Judæo-Christianis agendi sermo est) observare sufficit, Paulum non defuisse, quominus argumentum, quod, quum ad conscientiam cujusque hominis

referatur, potestatem eximiam nunquam non habeat, in usum converteret, cfr. Act. 13, 38: *Γνωστὸν οὖν ἔστω ὑμῖν, ἄνδρες ἀδελφοὶ, ὅτι διὰ τȣτȣ ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται· καὶ ἀπὸ πάντων, ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νομῷ Μωϋσέως δικαιωθῆναι, ἐν τουτῳ πᾶς ὁ πιςεύων δικαιοῦται* [1]. Quum ipse, quid hoc argumentum internæ experientiæ valeret, optime omnium percepisset, (Rom. 7), non mirum est, eum sæpius coram Judæis mentionem eorum fecisse; quæ evenerint sibi, qui, si quis alius, gloriari potuisset *τῇ δικαιοσύνῃ τῇ ἐκ νόμȣ* (Phil. 3, 9). Cfr. Act. 22, 1 sqq. 26, 4 sqq.

Jam vero, expositis argumentis, quibus Paulus usus est in Judæis instituendis, animum advertamus ad eam rationem, qua cavere studebat, ne ullam offensam populo præberet, quem potissimum omnium evangelio conciliare cupiebat.

Ut impedimenta removeret, quæ præconceptæ Judæorum opiniones propagationi evangelii objicerent, Paulus Timotheum, quem comitem itinerum sociumque muneris apostolici elegisset (Act. 16, 1), circumcidi jussit. Fuerunt, qui Paulum hac in re sibi solitæque docendi agendique rationi parum constitisse existimarent [2]. Provocarunt inter alia ad

1) "Mit Recht erinnert *Neander* (ap. Zeitalt. S. 136. Note), dass der Ausdrück *δικαιωθῆναι ἀπο πάντων* nicht so zu verstehen ist, als habe Paulus zwei Rechtfertigungen angenommen: eine unvollständige im A. T. und eine vollständige im N. Vielmehr ist dieser Ausdruck nur als Erklärung der *ἄφεσις ἁμαρτιῶν* zu fassen. Wie im A. T. keine wahre Vergebung statt hatte, sondern der Trost der Vergebung nur geweckt ward durch den Blick auf den kommenden Erlöser; so konnte das Gesez auch keine wesentliche Gerechtigkeit wirken. Das Wesen gab aber eben das Christenthum, deshalb hatte man in demselben alles, was das A. T. nur vorbildlich darstellen konnte." *Olsh.* ad h. l.

2) *Stäudlin, die Geschichte der Sittenl. Jesu* 1 Th. p. 720 sq. Cfr. *Ammon, die Fortbildung des Christenthums zur Weltreligion* 2 B. p. 42.

Gal. 2, 3, ubi Paulus gloriatur, quod Titus, qui Hierosolymas unacum Paulo & Barnaba adiit, non coactus fuerit circumcumcisionem subire. Sed hæc res ita se habet: Titum circumcidi propterea noluit Paulus [1]), quod Christiani judaizantes hoc tanquam necessarium flagitarent. Quod vero iis, qui, quum Christo nomen dedissent, scire debebant, "in Christo, non esse discrimen Judæi vel Græci, circumcisi vel præputiati" (Gal. 3, 28. 5, 6. Col. 3, 11. 1 Cor. 7, 19) concedere noluit, id Judæis nondum ad sacra christiana conversis sine difficultate dare potuit. Diserte enim Lucas tradit, Timotheum circumcisum fuisse non eorum causa, qui Christianam fidem amplecterentur, sed διὰ τοὺς Ἰουδαίους τοὺς ὄντας ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις· ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ, ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν. Act. 16, 3. Titus præterea a Judaismo omnino alienus fuisse videtur (Ἕλλην ὤν Gal. 2, 3); Timotheus vero, qui matre utebatur Judæa (Act. 16, 2. 2 Tim. 1, 5), jam hac de causa Judæis propior erat. Circumcisio Timothei nulla necessitate extorquebatur, sed prudentiæ Pauli adscribenda est, qui juveni sibi addicto persuadebat, ut ritum circumcisionis susciperet, quo facilius se probaret Judæis illas regiones inhabitantibus. — Huc accedit, quod causæ e privatis rebus Timothei petitæ, quæ a nobis quidem haud investigari possunt, sed fortasse verbis Lucæ: υἱός γυναικός Ἰουδαίας πιστῆς, πατρὸς δὲ Ἕλληνος v. 2 — ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ, ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν, v. 3 leviter indicantur (— num pater T. etiamnum vixerit? num forte sacra judaica, quibus uxor dedita erat, ludibrio & contumeliis persequutus sit? —) illam agendi rationem, qua Paulus hac occasione usus est, insuper suadebant.

Neque hac sola occasione Paulus ingenia & mores Judæorum respiciebat. Regulam, quam in omnibus rebus, quæ

---

1) Constat quidem, fuisse, qui Gal. 2, 3 ita interpretarentur, ut statuerent, Paulum revera cessisse, ut ritus Judaicus *in Tito* perageretur. Sed v., quæ suo jure *Schott.* in comment. ad h. l. hisce opponit.

nonnisi ad externum Dei cultum pertinebant, sequi solebat, his verbis 1 Cor. 9, 20: ἐγενόμην τοῖς Ἰϐδαίοις ὡς Ἰϐδαίος, ἵνα Ἰϐδαίϐς κερδήσω — — — τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος — — — ἵνα κερδήσω ἀνόμϐς — diserte enuntiavit. Ut Paulus igitur inter gentiles degens non religioni duxit aliquid de severiori præceptorum Mosaicorum observatione remittere, ita inter Judæos versans disciplinæ Mosaicæ haud temere se subduxit [1]). Quum Apostolus Ethnico-christianos sibi cavere juberet, ne liberiori vivendi ratione fratres imbecilliores, qui ritus leviticos diligenter observarent, temere offenderent, his præceptis parum convenienter egisset, si, quando non aliæ causæ graviores contrariam rationem suaderent (quales aderant Gal. 2, 11 sqq.), illa moderatione ipse non usus esset. Præterea statuendum esse videtur, Paulum ut alios homines pios ea ratione pietatem suam haud raro exprimere iisque præsidiis confirmare voluisse, quibus a puero usus esset, quamvis probe teneret, pietatem animi non certis illis ritibus necessario adstrictam esse. Ex hoc desiderio, cui adjungebatur studium Judæis probandi, quam parum a sacris judaicis per se spectatis alienus esset, repetenda esse videntur itinera illa, quæ suscepit, ut Hierosolymis festa Judæorum celebraret, Act. 18, 21. 20, 16.

Quæ omnia quum haud prohibere possent, quominus Apostolus in odium incurreret Judæorum fanaticorum, summa tamen prudentia omnia evitare studebat, quæ odium illud temere augerent. Vexationibus persecutorum non opposuit pertinaciam illam, quæ ex imprudenti martyrii cupiditate haud raro orta tantummodo valeret ad animos hostium acrius exacerbandos. Judæis salutem sibi oblatam contumaciter repudiantibus poenam quidem divinam certo futuram impavide annuntiavit (Act. 13, 40. 41. 18, 6), sed prudenter cavebat,

1) "Er wäre der grosse Mann Gottes nicht gewesen, wenn so wie die Juden vor der heidnischen Sitte zurückschauderten, er einen Schauder vor der jüdischen Sitte gehabt hätte." *Schrader l. c.* p. 315.

ne injuriis vel acerbe dictis eos lacesseret; immo, noluit culpam eorum nece ipsius augeri, quare, ubi copia facta est, insidiis eorum se subduxit. Præcepti Jesu, Matth. 10, 23 ὅταν διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἑτέραν· κἂν ἐκ ταύτης διώκωσιν ὑμᾶς, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην·, bene memor, Paulus Antiochia Pisidiæ expulsus Iconium (13, 51.), Iconio deturbatus, Lystram (14, 6), Lystra ejectus Derben petiit (14, 21). Quum Judæi Thessalonicenses evangelium Christi repudiarent, Beroeam profectus est (17, 10); qua in urbe quum rursus impetu Judæorum Thessalonicensium agitaretur, Athenas abiit (17, 15). Quanquam plerisque quidem locis periculum erat, ne Apostolus violentia Judæorum opprimeretur, opportunitas tamen, si Paulus ea uti voluisset, non omnino deerat mala malis regerendi, quum gentiles Apostolo nonnunquam magis faverent quam Judæis (Act. 18, 12 sqq. 19, 30 sqq.); sed nunquam a se impetrare potuit, ut præceptum divini magistri violaret: Ἀγαπᾶτε τὺς ἐχθρὺς ὑμῶν, εὐλογεῖτε τὺς καταρωμένυς ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισῦσι ὑμᾶς Matth. 5, 44. Quid vero? quod tandem causam suam Cæsari Romano cognoscendam tradiderat, hoc coram Judæis Romanis diserte excusare studebat, declarando se non ad Cæsarem provocasse, ut populares suos accusaret, sed ad tribunal gentilium confugere se coactum fuisse, ne iniquo Judæorum Palæstinensium odio succumberet (ἠναγκάσθην ἐπικαλέσασθαι Καίσαρα· οὐχ ὡς τῦ ἔθνυς μυ ἔχων τι κατηγορῆσαι) Act. 28, 19 [1]).

Ut etiam luculentius Apostolus Judæis probaret, quo animo in ipsos esset affectus, autoritate, qua inter gentiles pol-

1) Unerklärbar und Verdacht erregend musste es den römischen Juden seyn, wenn sie erfuhren, dass er sich absichtlich dem Gerichte seines Volkes entzogen und an den Keiser appellirt habe. Hierüber wünschte der Apostel ihnen eine Erklärung zu geben, um wenigstens so viel an ihm sei es zu verhindern, dass sie nicht ohne Grund gegen ihn eingenommen würden. *Hemsen, Der Apostel Paulus* p. 597.

lebat, haud raro usus est ad stipes colligendas, quibus inopiæ Palæstinensium succurreret (δι' ἐτῶν πλειόνων παρεγενόμην ἐλεημοσύνας ποιήσων εἰς τὸ ἔθνος μου Act. 24, 17). Constat quidem, has stipes proxime in usum Judæo-Christianorum erogatas esse (Act. 11, 29. 30. 12, 25. Gal. 2, 10. 1 Cor. 16, 1. 3. 2 Cor. capp. 8. 9. Rom. 15, 26) sed nihilotamen minus exinde apparebat, quantum a vero aberraret fama, quæ Paulum hostilis in Judæos animi accusasset, Act. 21, 28. — Judæorum causa Paulus ritus quoque interdum suscepisse videtur, qui, quanquam lege Mosaica non diserte imperati, tamen a Judæis illius temporis vulgo recepti disciplinæque Mosaicæ consentanei essent. Huc referenda esse videntur, quæ leguntur in Act. 18, 18: Paulus in Palæstinam profecturus Corintho discessit, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς· εἶχε γὰρ εὐχήν. De ratione hujus voti varie disputatum est. Equidem iis [1]) accedere non dubito, qui hanc rem explicaturi provocant ad morem inter Judæos eo tempore receptum, ex quo, si quis graviori morbo decumberet vel in extremo aliquo vitæ discrimine versaretur, promittere soleret, se, si periculo imminenti eriperetur, Jehovæ sacrificium oblaturum esse in templo Hierosolymitano, adeo ut per triginta, qui oblationem sacrificii proxime antecederent, dies, a vino abstineret, capillis capitis rasis. Hujus generis erat votum *Berenices*, sororis Agrippæ, cfr. *Joseph. de bell. Jud.* 2, 15; cujus quum mentionem facit *Josephus*, hæc addit: τοὺς γὰρ ἢ νόσῳ καταπονουμένους ἤ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος εὔχεσθαι πρὸ τριάκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσίας, οἴνου τε ἀφέξεσθαι καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας [2]). Paulus quum Corinthi vel alibi

1) *Neander Pflanzung der chr. Kirche* 1 p. 268. *Olshausen Bibl. Comment. ad h. l.*

2) "Es scheint mir durchaus nothwendig, den Aoristus in den angeführten Worten (Josephi) in das Futurum ξυρήσεσθαι zu verwandlen und ich überseze so: "sie pflegen zu geloben, dass sie sich dreissig Tage vor Darbringung des Opfers des Weines

in graviori versaretur periculo (cfr. 2 Cor. 11, 26. 27), ejusmodi votum suscepisse videtur, ut gratum in Deum animum publice coram Judæis in templo Hierosolymitano profiteretur [1]). Inde quoque illa celeritas explicari potest, qua Hierosolymas petiit (18, 21), quum tempore statuto sacrificium offerre deberet. Neque temere *Olshausen* suspicatur, Judæos Ephesinos, quum Paulus priori vice eos adiret, ob hoc ipsum, quod Apostolum illo voto obstrictum viderent, ideo eum benevolentius excepisse (v. p. 48) [2]).

---

enthalten und das Haar scheeren lassen werden." *Neander* *l. c. Anm.* 1).

1) *Calvinus* ad h. l. "Mihi verisimile est, (Paulum) hoc Judæis, ad quos venturus erat dedisse."

2) *Schrader*, *Der Apostel Paulus* 2 Th. p. 270, illud votum pro vulgari voto Naziræorum habet, cui sententiæ obstare videtur, quod ex Num. 6 caput Naziræi tum demum radendum erat, quum in templo Hierosolymitano sacrificium præscriptum offerretur. Nam quod *Schrader* pro sententia sua affert: Er bediente sich darin der den Juden des Auslandes ohne Zweifel darum gegebenen Freiheit, weil es unmöglich war, auf einer weiten Reise durch heidnische Länder sich so unbefleckt zu halten, als das Gelübde vor angefangener Ablösung forderte, und weil sicher Niemand ein solches Gelübde gethan und die zur gänzlichen Ablösung nöthigen Opfer nach Jerusalem gebracht haben würde, wenn man auch von den ausländischen, wie von den Palästiner Juden die Abschneidung des Haars im Tempel oder vor demselben verlangt hätte — historicis testimoniis non comprobari potest. — Admodum confuse de hac re agit *Hemsen, das Leben Pauli* p. 194 *Anm.* 1): "Es war weder ein eigentlich religiöses noch ein körperliches (?) Gelübde, sondern Calvin scheint das Rechte zu haben, wenn er z. d. St. sagt: de Paulo libenter interpretor: quia mihi verisimile est, hoc Judæis, ad quos venturus erat, dedisse. Zu Corinth, wo er hauptsächlich mit Heiden umging, hatte er vielleicht gelobt als ein Zeichen seiner Dankbarkeit für seine Errettung aus den Händen der Juden durch einen Heiden, Gallio, sein Haupthaar wachsen zu lassen. Jezt, da er wieder unter die Juden ging, fand er es angemessen, diesem

Simili modo Paulus gravissimam Judæorum indignationem, quæ orta erat e fama vel inter ipsos Judæo-Christianos

---

Gelübde zu *entsagen*. — Nescio, quomodo hæc posteriora conciliari possint cum assensu, quo *Hemsen* sententiam Calvini amplexus sit. Nam si Paulus propterea voto suscepto renuntiare decrevisset, quod ad Judæos profecturus esset, statuendum esse videtur, eum in illo voto suscipiendo moribus gen*tilium* se accommodasse; sed, hoc concesso (quanquam non est, quod admittatur hæc sententia), quomodo autor citatus dicere potuit: Calvin *scheint das Rechte zu haben*, wenn er z. d. St. sagt: de Paulo libenter interpretor, quia mihi verisimile est, *hoc Judæis* ad quos venturus erat, *dedisse* —?

Observandum tandem est, nonnullos totum locum: *῾Ο δὲ Παῦλος — — ἐξέπλει εἰς τὴν Συρίαν, καὶ σὺν αὐτῷ Πρίσκιλλα καὶ ᾿Ακύλας, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς· εἶχε γὰρ εὐχήν* ita interpretatos esse, ut statuerent, *Aquilam*, non Paulum fuisse, qui voto obstrictus teneretur. Sed hæc interpretatio e metu orta esse videtur, ne Paulus, qui sæpius tam fortiter præcepta levitica & quæ hujus generis erant, impugnavit, sibi parum constitisse videretur. Sed hic metus valde superfluus est. Valent enim hoc loco eædem rationes, quæ expositæ sunt, ubi de circumcisione Timothei egimus (p. 63). Quodsi etiam concederetur, in Act. 18, 18. de Aquila, non de Paulo, agi, difficultates tamen omnino simillimæ orirentur ex Act. 21, 21 sq., quo loco minime negare licet, Paulum moribus Judæorum se accommodasse. — Sed Paulum, non Aquilam esse, qui votum suscepisse feratur in Act. 18, 18, nexus orationis satis luculenter docet. (— Ne quis argumentum pro sententia contraria exinde petat, quod Priscillæ nomen præmissum sit nomini mariti [*Πρίσκιλλα καὶ ᾿Ακύλας*], velim conferat Rom. 16, 3 *᾿Ασπάσασθε Πρίσκαν καὶ ᾿Ακύλαν*. 2 Tim. 4, 19 *῎Ασπασαι Πρίσκαν καὶ ᾿Ακύλαν* —). Præterea Hierosolymis votum solvendum erat; sed Aquilas Ephesi manebat, Act. 18, 26. Quonam tandem consilio Lucas hanc rem memoriæ prodidisse existimandus est, si ad Aquilam referenda sit?

Restat igitur nonnisi eorum sententia respicienda, qui arbitrantur, Paulum (aut Aquilam) illud votum de capite prius radendo, quam Corintho discessurus esset, non aliquo religioso consilio suscepisse, sed ad similitudinem Judæorum, qui inter-

divulgata, Apostolum omnibus Judæis inter gentiles versantibus præscribere, ne liberos circumciderent vel omnino ritus leviticos observarent (Act. 21, 21), removere studebat, quum voto Naziræorum suscipiendo sumtibusque pro aliis quibusdam, qui eodem obstricti tenebantur, suggerendis [1]) ostenderet, quam alienus esset a ritibus Judæorum sacris odio vel contemtu persequendis. E mente quidem Jacobi, qui Paulo suadebat, ut hac agendi ratione uteretur, accommodatio illa potissimum Judæo-Christianos spectare debebat (θεωρεῖς, ἀδελφέ, πόσαι μυριάδες εἰσίν Ἰυδαίων τῶν πεπιςευκότων [2]) καὶ πάντες ζηλωταὶ τῦ νόμυ ὑπάρχυσι. κατηχήθησαν δὲ περὶ σῦ κ. τ. λ. v. 20), verum, quum in medio relinquendum esse videatur, an Paulus tantum concedere voluerit Judæo-Christianis, certius statuimus, Paulum id agere voluisse, ut Judæis in universum probaret, se minime impugnare ritus Judæis sacros per se spectatos. Nam quemadmodum Apostolus coram Felice verba faciens,

---

dum hoc vel illud facerent votum, v. c. de abstinendo a cibis, antequam rem graviorem sibi propositam ad finem perduxissent cfr. Act. 23, 14; "Quadraginta Judæi ἀνεθεμάτισαν ἑαυτὺς, λέγοντες μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν, ἕως ὗ ἀποκτείνωσι τὸν Παῦλον. (Hæc sententia sine dubio arridebat b. Hemsen l. c.) Sed recte Neander l. c. hisce opponit: Eine solche zwecklose Thorheit ist man dem Aqvila (ne dicamus: Paulo) zuzutrauen nicht berechtigt. Und etwas so Unbedeutendes würde auch Lucas von dem Aqvila, der nicht der Held seiner Geschichtserzählung war, schwerlich berichtet haben.

1) Cfr. *Joseph. Antiqq.* 19, 6 ubi Herodes Agrippa vinculis liberatus ad gratum in Deum animum præ se ferendum, dicitur jussisse plures, qui obstricti tenerentur voto Naziræorum, capita radere ɔ: sumtus huic voto adjunctos suggessisse.

2) *Baur, in Programm.* 1829 (*Commentatio de orat. Steph.* ——— *Adduntur critica quædam de loco Act.* 21, 20). suspicatur, verba τῶν πεπιςευκότων glossema esse cujus origo repetenda sit ex v. 25 τῶν πεπιςευκότων ἐθνῶν. Verum huic opinioni obstant codicum, versionum eorumque omnium, quæ a criticis adhiberi solent, testimonia, id quod Baur ipsum tamen non effugit (p. 35).

stipes, quas in usum Judæo-Christianorum collegerat, ad totum populum Judaicum refert (Act. 24, 17), ita eodem loco lustrationem a se susceptam commemorat ut argumentum, unde testimonium petatur ejus animi, quem in Judæos in universum foverit (v. 18): *Δι' ἐτῶν πλειόνων παρεγενόμην ἐλεημοσύνας ποιήσων εἰς τὸ ἔθνος μου καὶ προσφοράς· ἐν οἷς εὗρόν με ἡγνισμένον ἐν τῷ ἱερῷ* [1]).

Ex his igitur omnibus apparet, quanta fortitudine, prudentia, moderatione Paulus cum adversariis e popularium numero egerit, qui fidem Jesu Christo non haberent. — Jam vero rationem inspiciamus, quæ apostolo nostro cum gentilibus intercesserit.

§ 5.

Gentiles.

Quamquam hæc erat antiqui et novi foederis necessitudo, ut Evangelium, vel si liberrime, ut in scriptis Paulinis, traderetur, tamen quasi complementum perfectæ legis ab eo spectandum esset, qui oeconomiæ Mosaicæ vim, rationes, finem cognovisset: Judæis nihilo secius nova doctrina ultra modum invisa erat; cuius utique in gentilibus longe melior conditio; horum enim alii tam læte eam exceperunt, alii tam clementer tolerarunt, ut ne ipsi prædicatores quidem evangelii tam felicem sperare potuissent successum. Quid enim? Nonne exspectandum fuisse videtur fore, ut Romani, quorum imperio omnia tum erant subdita, violenti existerent novæ religionis adversarii, præsertim si eam rationem respicerent, qua isti, quæ ad religionem & cultum deorum pertinerent, dijudicare vulgo solerent? Quamquam enim hæc erat, ut fere omnium polytheistarum, ita Romanorum quoque, in rebus religiosis humanitas, ut suos cuique genti deos venerari suasque cærimonias celebrare permitterent, dummodo concessa libertas proprios huius gentis fines non excederet: iidem

---

1) Cæterum cfr. quæ hac de re disputavimus p. 38 Not. 1).

tamen Romani, qui iam antiquitus res civiles et religiosas arctissimo vinculo coniungere solebant, rempublicam facile detrimentum aliquod capere posse putabant, si novorum numinum cultus sine auctoritate senatus celebrari coeptus esset [1]). Jam vero, quum Romanorum arma longinquas terras occupassent, paullatim factum est, ut novi dei Romam migrarent, unde et negligentia maiorum numinum et morum perversitas exorta est. Leges igitur, quæ peregrina sacra vetabant, denuo sæpius inculcabantur [2]). Eorum quoque sodalitates (s. ἑταιρεῖαι), qui eadem numina simul colebant, erant partim licitæ, partim illicitæ: "religionis causa omnes coire prohibiti sunt, si fieret contra senatus consultum, quo illicita collegia arcebantur" [3]); at nihilo minus hæc ipsa illicita collegia passim constituta sunt; labente enim disciplina morum et antiqua religione, sacerdotes et mystagogi, ex ultimo Oriente Romam venientes, multos sibi adseclas, occultas sperantibusque fallaces cærimonias docendo, compararunt. Ad istos homines magna eorum multitudo pertinuit, qui mysticis Orientis artibus initiatos sese esse iactarunt, Astrologorum (Mathematicorum), Augurum, Magorum, id unice laborantium, ut crescentem superstitionem corroborarent, unde quam maximum lucrum facerent [4]). Quid! quod Cæsares et proceres civitatis eadem superstitione infecti sunt, et, quæ sacra peregrina publice vetuerunt, timentes scilicet, ne ex eis damnum aliquod ipsis exoriretur, ea occulte adhibuerunt. At cum multiformi superstitione, ut fit, horrenda scepsis erat coniuncta [5]).

---

1) *Cic. de legg.* II. 8: "separatim nemo habessit deos: neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto."

2) Cfr. *Gieseler, Kirchengesch.* 1 Th. 1 A. § 12.

3) *Digest. lib. XLVII. Tit.* 22. *lex. I.* — cfr. *Sueton. Cæs.* c. 42. *Octav* c. 32.

4) Cfr. *Tac. hist.* I. 22. *Juven. Sat.* VI. v. 510. sqq.

5) *Plin. hist. nat.* II. 5. VII. 56. II. 86. — *Tacit. Annal.* VI. 22. *Neander, Allg. Gesch. der chr. Rel. und Kirche* 1 Abth. 1 Th. p. 13 sqq.

Jam religionem Judaicam gentiles eadem, qua cæteras religiones antiquiores, reverentia prosequuti sunt, imo propter invisibilis numinis cultum, in magnifico templo Hierosolymitano celebratum, sanctiorem æstimarunt. Narrantur quoque potentissimi aliarum gentium reges pietatem suam erga Jehovam præ se tulisse; Alexander enim Magnus dicitur in templo Hierosolymitano ex præscripto pontificis maximi sacra fecisse [1]); idem de Ptolemæo Euergeta [2]) traditur. Seleucus Philopator [3]) vero & postea Augustus certos reditus, unde sacrificia quotidiana fieri possent, templo adsignarunt [4]). Sed quum nequaquam Judæi eadem reverentia aliarum civitatum religiones prosequerentur, imo deos gentilium veros esse deos negarent, quum consuetudine gentilium uti nollent, ne impuritate inficerentur, sperarent denique, fore, ut deus, quem ipsi colerent, de terrarum gentibus victoriam olim reportaret: factum est, ut invisi omnibus et contempti esse inciperent, præsertim quum hæc esset inveterata antiquitatis opinio, potestatem alicuius numinis ex conditione cultorum externa diiudicari posse. Quantumvis autem Judæi a superbis Romanis contempti essent, isti tamen, qui a temporibus Alexandri Magni per totum imperium Romanum dispersi erant, ut vix locus inveniretur, quo Judæi non habitarent [5]), multa sibi privilegia nacti erant. Cæsar, Augustus, Claudius edictis decreverant, ut Judæi religionem suam libere celebrarent, unde factum est, ut synagogæ eorum ad collegia licita pertinerent, — et varias eis prærogativas concesserant, ut a multis rebus liberi essent, quas propter legem suam obire non possent [6]).

1) *Joseph. Antiqq.* XI. 8. 5.
2) *Joseph. contr. Apion.* II. 5.
3) 2 *Maccab.* 3, 1-3.
4) *Philo de legat.* p. 1030.
5) *Strab.* XIV. 12. — *Phil. l. l.* p. 1031.
6) Hanc tamen in edicto suo Claudius conditionem addidit (*Joseph. Antiqq.* XIX. 5. 3.): καὶ μὴ τὰς τῶν ἄλλων ἐθνῶν δεισιδαιμονίας ἐξουθενίζειν.

Tanta autem beneficia, quibus Judæi a principibus affecti sunt, effecerunt, ut odium aliorum civium etiam augeretur assiduæque exorirentur lites.

Quod vero libere et secure deum suum colere poterant, id Judæi non satis habuerunt, verum etiam ut proselytos facerent, ingentem operam dederunt; neque exitus labores eorum fefellit, siquidem, quæ alias Orientis religiones, eadem Mosaicam quoque religionem Occidentalibus commendabant. Huc accessit, quod hæc religio interno pretio cæteras longe superavit, quum fidem posceret in unum et invisibilem deum, a sacrificiis autem hominum, a libidinibus, a crudelitatibus plane abhorreret, quæ cum religionibus polytheisticis coniuncta esse solebant. Imprimis autem mulieribus probata est; — ita, quæ Damasci vixerunt, fere omnes huic erant addictæ [1]) — neque id in viris effectu caruit [2]). Pauci tamen inter gentiles circumcisi erant universisque legis Mosaicæ præceptis obediverunt (גֵּרֵי הַצֶּדֶק); maior eorum erat numerus, qui, fidem in deum unum foventes, septem præcepta Noachitica satis habuerunt observare (גֵּרֵי הַשַּׁעַר). Ut vero ardentius erat peregrinorum sacrorum studium, ut vulgarior in antiquis cærimoniis colendis negligentia, ita facilius a magistratibus indulgebatur et iis, qui proselytos fecerunt, et ipsis proselytis. Denique Romæ non defuerunt, qui, exterarum gentium sacra imitandi cupidissimi, non tam dogmata religionis Mosaicæ probarent, quam solis cærimoniis Judæorum solemnibus tenerentur; cum Judæis igitur hasce observarunt, cum iis dies festos celebrarunt, eorum exorcistas magni fecerunt, cæterum erroribus et sacris avitis addicti [3]).

---

1) *Joseph. de bello Jud.* 2, 20. — vid. *Act.* 13, 50. 17, 4. 12.
2) *Strab.* VII. 3, 4.
3) *Horat. Sat.* I. 9. v. 69. — *Ovid. ars amat.* I. 75. — *Act.* 13; 8. 19, 13. *Joseph. Antiqq.* VIII. 2. 5. — *Juven Sat.* VI. v. 543. — *Seneca de superstitionib.* ap. *August de civit. dei* VI. 11. — Cfr. *Giesсler Kirchengesch.* 1 Th. § 10-12. § 14-17.

Hæc præmittenda esse censuimus, quo melius cognosceretur qualis esset inter Paulum et gentiles ratio.

Quotiescunque Paulus in itineribus, quæ religionis propagandæ causa suscepit, ad urbes venit, ubi conventus Judæorum sacri celebrabantur, primum in synagogis sermones facere solebat, sperans, ita sese non solum Judæos, verum etiam gentiles auditores benevolos facillime inventurum esse. Antiochiæ, Pisidiæ urbe, Paulus in synagoga orationem *his* verbis incepit: *ἄνδρες Ἰσραηλῖται καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν θεὸν, ἀκούσατε.* cfr. Act. 13, 43: *λυθείσης δὲ τῆς συναγωγῆς, ἠκολούθησαν πολλοὶ τῶν Ιουδαίων καὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ.* 14, 1: *ἐγένετο δὲ ἐν Ἰκονίῳ κατὰ τὸ αὐτὸ εἰσελθεῖν αὐτοὺς εἰς τὴν συναγωγὴν τῶν Ἰουδαίων καὶ λαλῆσαι οὕτως, ὥστε πιστεῦσαι Ἰουδαίων τε καὶ Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος.* Philippis nonnisi *προσευχὴ* erat (Act. 16, 13); sed Lydia, cujus animum Dominus aperuit ad fidem præbendam sermonibus Pauli, (v. 14) describitur: ... *σεβομένη τὸν θεὸν κ. τ. λ.* Etiam Thessalonicæ, ubi synagoga erat, in qua Paulus *ἐπὶ τρία σάββατα* orationes habuit, cum Judæi tum inprimis proselyti ad fidem conversi sunt, (Act. 17, 4); idem Beroeæ factum est (ibid. v. 12), et Athenis (ibid. v. 17. 34) Corinthique (18, 4), in qua urbe Paulus domum proselyti cuiusdam, Justi, habitavit (v. 7). Hi proselyti ab iis omnino diversi erant, qui proselyti iustitiæ vocabantur [1]), quod quoque ex nominibus, quibus appellabantur (*οἱ φοβούμενοι τὸν θεὸν, οἱ σεβόμενοι*), satis elucet; ad

1) In: *Meuschen, N. T. illustr.*, (*Danzii Cura Judæor. in conquirend. proselyt. ad Mt.* 23, 15) pag. 669 legimus: "ex quo anni iubilæi cessavit observatio, sive, quod ad idem redit, postqvam Judæi in feralem hanc captivitatem migrare et terra sua extorres esse coacti sunt, proselyti domicilii (portæ) publice amplius non fuere recepti. Si quis autem e gentilibus ultro Noachidarum præcepta et verbis et opere susceperunt, illos non proselytos, sed potius *pios* et *religiosos* vocarunt."

synagogas aditus quidem iis patebat, cæterum vero impuri existimabantur (Act. 10, 1. 28. 11, 3).

Quoniam igitur hi proselyti a Judæis summa tractabantur superbia[1]), facile intelligi potest, qvanto gaudio fuerint affecti, quum Apostolos, ex Judæis oriundos, evangelium salutis, per Christum omnibus partæ, ita nuntiantes audirent, ut ad hanc, amotis molestis & insolitis cærimoniis, consilium & pretium Mosaismi unice referretur. Quare in Act. 13, 48 de Antiochenis legimus: ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη ἔχαιρον καὶ ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου καὶ ἐπίστευσαν. Jam cum civibus et amicis sermones apostolorum communicarunt. Sed cupiditas illa, qua gentiles prædicationem evangelii audire solebant, invidiam Judæorum excitavit, (cfr. p. 46) adeo ut si qui apud hos vel illos gentiles gratia quadam forte valerent, omnibus modis novam doctrinam eis infestam odiosamque reddere studerent, imprimis mulieribus, ut per eas mariti liberive ab evangelio amplectendo arcerentur. Quibus tamen rationibus gentiles permoti fuerint, ut graviorem in apostolos iram conciperent, non semper diserte memoriæ proditum est (Act. 13, 50. 14, 2). Lystrenses, qui Paulum initio adeo venerati sunt, ut vix a sacris ei offerendis abstinerentur, lapidibus eum obruisse mox dicuntur; at ne verbo quidem Lucas, unde tanta animorum mutatio exorta sit, ostendit, nisi quod eam ad Judæos auctores refert (v. 19). Suspicari licet, similes calumnias, quæ posteriore tempore contra Christianos Judæorum imprimis studio prolatæ sint, jam in primo Pauli itinere acerbum illum furorem contra ipsum provocasse.

In Asia minore fere omnes tumultus, quibus Paulus et comites eius in periculum deducebantur, ex infima plebe exorti fuisse videntur; at in Europa etiam magistratus urbium eos persequi coeperunt. Cuius rei primum exemplum Philippis nobis obvium fit; neque tamen persequutio in hac urbe

---

1) Cfr. *Meuschen* l. c. p. 668.

Judæis hortantibus erupit, sed vera inimicitiæ causa inde repetenda esse videtur, quod apostoli a gentilibus existimabantur esse venatores proselytarum judaicorum. Philippis enim Paulus servam quandam sanavit, quæ vaticinando dominos suos magnopere ditaverat; isti, quæstum cessantem ægerrime ferentes, Paulum & Silam ad tribunal duumvirorum (τῶν στρατηγῶν) abreptos his verbis accusant: οὗτοι οἱ ἄνθρωποι ἐκταράσσουσιν ἡμῶν τὴν πόλιν, Ἰουδαῖοι ὑπάρχοντες· καὶ καταγγέλλουσιν ἔθη, ἃ οὐκ ἔξεστιν ὑμῖν παραδέχεσθαι οὐδὲ ποιεῖν, Ῥωμαίοις οὖσι. Plebe jam contra apostolos insurgente, duumviri Paulum & Silam virgis cæsos in carcerem conjici jubent. Tota populi magistratusque Philippensis agendi ratio hic tanto magis mira videtur, quanto maior gentilium benevolentia in Christianos esse solebat, ubi Judæi animos odio et suspicione nondum impleverant: quid! quod aliàs cernimus magistratus contra impetum & Judæorum (Act. 18, 12) et gentilium (Act. 19, 35) apostolos tuentes. Quæ tandem de mutatis magistratuum animis, quum causam apostolorum accuratius cognovissent, narrantur, (Act. 16, 35) suspicari jubent, persequutionem illam inde ortam esse, quod apostolos pro Judæis habuissent, qui in proselytis acquirendis occupati essent. Gentiles vulgo Judæis erant infesti; hoc odium heri ancillæ sanatæ excitare studuisse videntur, ut ultionem ex apostolis peterent. Omnia certe clariora essent, si cum *Schrader* (l. c. 2 Th. p. 237) jure contendere liceret, Judæos paullo ante adventum apostolorum ex urbe eiectos fuisse. Igitur quod alias apostolis prodesse solebat, quippe qui Judæis annumerarentur, id Philippis detrimento eis erat.

Longe alia sors apud principes civitatis Thessalonicensium (τοὺς πολιτάρχας) apostolos versabat. Quum enim Judæi [1]) prædicatores de Messia cruci affixo ægre ferrent,

1) Thessalonicæ erat ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων. Quodsi cum Olshausen (II. p. 713) articulum ἡ ante συναγωγὴ ita urgeas, ut significet, cæteras circumiacentes synagogas ex Thessalonicensi dependisse, vel melius intelligitur, cur Judæi hic viventes cras-

(p. 47) ideoque gentiles in eos exacerbare vellent: læsæ Cæsaris maiestatis illos criminati sunt, quod dissidia ubique moventes, alium dicerent, ac Cæsarem Romanum esse regem, *Jesum* (Act. 17, 7); magna deinde circumforaneorum hominum turba concitata est, quæ clamore, ut fit, & tumultu reliquum populum atque ipsos magistratus turbavit. Observandum vero est, criminationem, quæ v. 7 continetur, ab illa, qvam Philippis prolatam esse antea audivimus, differre, cujus ratio inde est repetenda, quod accusatores Christianorum Thessalonicenses *Judæi* erant. Hi enim caute evitantes, ne Christianos reos facerent, quod novas contra leges Romanorum pugnantes cærimonias commendarent, (quo facile indignationem magistratuum in se ipsos convertere potuissent) suspicionem movere studebant, Christianos res novas moliri suumque sibi habere velle regem. Constat quidem, Paulum et comites ipsius alienissimos ab hoc crimine fuisse. Sed magistratus Romani non confestim a se impetrare potuerunt, ut huiusmodi accusationem ineptam existimarent, præsertim quum plerique Judæorum summo iure putarentur imperium Romanum odio habere, Apostoli vero rectam de Servatore sententiam non sine summa difficultate gentilibus probare possent, qui notiones Messianas plane ignorarent. Quid vero? Pilatus ipse, cui persuasum erat, regnum Christi aliud esse, ac quod vulgo regnum vocaretur, iram imperatoris timuit, si hic liberaretur, qui regem se appellasset. Ut autem Hierosolymis, ita quoque Thessalonicæ Judæi maximam dederunt operam ut obedientiam et studium erga imperatorem tum ostenderent, quum id re vera agerent, ut auctoritatem istius Messiæ infringerent, cuius doctrina flagrantibus eorum desideriis maxime obstaret. Præterea fieri non potuit, quin Romanorum magistratus crederent, neminem melius,

siores illas de Messia notiones contumacius retinerent. Ubicunque enim maior corum numerus aderat, facilius spes ali poterat, fore, ut terrestre aliquod regnum Messianum institueretur.

qvam ipsos Judæos sententias & placita sociorum cognoscere; quod vero iidem ipsi Judæi erant accusatores apostolorum, id ad curam qvandam propriæ ipsorum securitatis referebant, scilicet, ne silentes seditiosa consilia probare viderentur (cfr. p. 49). Accessit denique, quod concita plebeiorum turba huic rei se immiscuit; ubi vero semel mota est seditio, non vulgi tantum animi ebulliunt, sed moderatiores quoque abripit tempestas; magistratus itaque timuerunt, ne, si rem levius tractarent, maiestatem imperatoris neglexisse existimarentur. At principes civitatis Thessalonicensis modestos tamen et placidos se gesserunt — quod in magistratu Philippensi laudari non potest —; satisfactione [1]) enim a Jasone quodam aliisque civibus Thessalonicensibus accepta, qua sine dubio cavebatur, ne motus publici exorirentur, duumviri apostolos liberos dimiserunt.

Thessalonica relicta, Paulus Beroeam venit, ubi pro more suo in synagogis evangelium prædicavit; initio autem Judæi eum benevole audierunt, libros quoque V. T. diligenter inspexerunt, ut doctrinam apostoli de Messia mortuo et resuscitato ad eos examinarent; multique ad fidem Christianam conversi sunt cum feminis et viris gentilibus, honestissimo loco ortis. Attamen vix id Thessalonicensibus Judæis compertum est, quum plures eorum Beroeam subito veniunt, et quæ ab apostolo iam gesta fuerunt, denuo vilissimorum hominum ope irrita reddere conantur. Furore in personam Pauli hosce emissarios exagitatos fuisse, inde patet, quod Silas et Timotheus Beroeæ manserunt, quum apostolus noster Athenas petere cogeretur (Act. 17, 10 sqq.)

Athenis synagoga erat, ubi Paulus coram Judæis & proselytis orationes habuit (Act. 17, 17); verum quum Athenienses in plateas et fora publica convenire solerent, ubi de re-

1) Cujusnam generis satisfactio hæc fuerit, incertum est. Fortasse certa pecunia apud duumviros deposita, Jason cæterique promittebant, apostolos non diutius in urbe commoraturos esse (cfr. v. 10)

bus omnis generis colloquerentur, apostolus evangelium etiam lætiora capturum esse incrementa opinabatur, si coram maiore hominum multitudine prædicaretur. Crebro igitur eos his in locis adiit atque colloquia de rebus gravissimis ibi frequenter instituit. Ita quoque factum est, ut in philosophos quosdam Epicureos et Stoicos incideret. Novum adversariorum genus Paulus hic nactus est; antea enim cum iis rem habuerat, qui doctrinam ejus repudiarent aut quod religionis majorum tenacissimi essent aut quod evangelii præcones res novas politicas moliri suspicarentur: iam vero in magistros liberalis scientiæ incidit, res religiosas parum curantes, quas inventas esse vulgo putarent, ut spe et timore libidines vulgi facilius coërcerentur. Pro solita sua incuria et protervia nonnulli e philosophis istis erumpunt: "quid tandem sibi vult hic nugator"? Attamen, ut solebant esse Athenienses res antea inauditas novasque audiendi cupidissimi (Act. 17, 21), quidam eorum Paulum in Collem Martium duxerunt, quo facilius ad magnam hominum frequentiam verba faceret, hac rogatione eum adeuntes: *δυνάμεθα γνῶναι, τίς ἡ καινὴ αὕτη ἡ ὑπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή; ξενίζοντα γάρ τινα εἰσφέρεις εἰς τὰς ἀκοὰς ἡμῶν. Βουλόμεθα οὖν γνῶναι, τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι.* Et hæcce alloquutio, et quæ adiungit Lucas 17, 21, ostendunt, plane nullum hic sermonem esse de accusatione aliqua Pauli coram Areopagitis, quod peregrinam et illicitam religionem doceret; "tota res," ait Neander (l. c. pag. 164.), "utique haud digna eis videbatur, quæ tam serio modo tractaretur." Jam Paulus orationem illam habuit, qvam ut documentum eius sapientiæ et eloquentiæ omnes semper admirati sunt; at ne sic quidem superbos indifferentesque animos movere valuit; imo quum de die illo apostolus dicere coepisset, quo Deus orbem terrarum iudicaturus esset per virum, quem a mortuis excitasset, alii ridebant, alii mitiore modo Paulum ad silentium redigere studebant, dicentes: *ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου.* Nam si (ut nonnulli opinantur) sincerum animi votum his verbis ex-

primere voluissent, eos sine dubio potius imitati essent, qui v. 34 dicuntur Paulo adhæsisse, et credidisse. Sed ex omnibus, quæ Athenis gesta sunt, elucet, fidem Christianam in animis radices agere non potuisse, qui religiosum et ethicum salutiferæ doctrinæ argumentum capere nollent. Falsa illa vanitate et sapientiæ humanæ superbia, qua plerique Athenienses irretiti erant, effectum est, ut nulla his agnitio esset peccati, nullum desiderium salutis, cui prospera evangelii prædicatio annecti posset.

Ut in aliis urbibus, ita denique Corinthi Judæi operam dederunt, ut odio et vexationibus gentilium Paulum exponerent; quare ad tribunal Gallionis Proconsulis eum duxerunt, quod *παρὰ τὸν νόμον οὗτος ἀναπείθει τοὺς ἀνθρώπους σέβεσθαι τὸν θεόν*. *Νόμος*, qui hoc loco nominatur, est lex Mosaica, quod ex v. 15 apparet (*νόμος ὁ καθ' ὑμᾶς*): Judæi itaque opinabantur, Proconsulem non modo cultum Mosaicum, cui leges Romanæ indulgerent, defensurum esse, verum etiam eum sibi persuasum habere, omnia, quæ a Judæis traderentur, si doctrinæ synagogarum non congruerent, violationem publicarum legum afferre. Neque tamen Gallioni huiusmodi rei in mentem venit; imo ante, qvam Paulus causam suam dicere cæpisset, accusatores ejus his verbis dimisit: *εἰ μὲν οὖν ἦν ἀδίκημά τι ἢ ῥαδιούργημα πονηρὸν, ὦ Ἰουδαῖοι, κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν· εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου καὶ ὀνομάτων καὶ νόμου τοῦ καθ' ὑμᾶς, ὄψεσθε αὐτοί· κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι.* Hæc autem Gallionis agendi ratio æque ex animi eius clementia [1]) ac ex contemptu, quo Judæos ut plerique gentiles prosequebatur, deducenda est. Præterea, quamvis ab una parte Paulus novam doctrinam nuntiare videretur, adeo ut accusari posset, quod leges de religionibus peregrinis violasset: ab altera tamen parte ad tolerantiam Judæis concessam confugere ei licuit, siquidem non novum, sed Israëlis Deum præ-

---

1) Dulcis Gallio. *Senec. Præfat. natur. quæst. l. IV.*

dicavit, necnon sæpissime declaravit, evangelium non nisi complementum earum esse promissionum, quæ Judæorum maioribus datæ essent. Gallio igitur Paulum comitesque eius tanqvam Judæos spectavit, quare libertate illa, qvam leges Romanæ Judæis concesserant, privare eos noluit: quodsi Judæi de doctrina sua controversias inter se haberent, tales ab ipsis ad legem Mosaicam dirimendas esse censuit, sin autem nihil violenter ageretur, Proconsul totam rem a se plane alienam putavit. Gallionis iudicio effectum est, ut ipsi petitores ludibrio & vexationibus gentilium exponerentur (Act. 18, 16-18).

Ex iis, quæ Philippis gesta sunt, iam antea vidimus, gentiles quosdam Paulo infestos fuisse, quod lucrosa eorum consilia irrita redderet. Paucis annis interiectis apostolus eadem de causa Ephesi in summum discrimen adductus est. Nam in illa urbe faber quidam argentarius, Demetrius, qui argentea Dianæ faciebat delubra, aliis similium rerum opificibus convocatis, hos contra Paulum excitavit. Ex oratione ejus, quæ in Act. 19, 25-28 legitur, apparet, gravissimam quidem in Paulum accusationem inde repetitam esse, quod per novam doctrinam religio maiorum in contemptum adduceretur; verum ex ipsa accusationis forma satis clare elucet, ipsum vehementem illum religionis avitœ amorem ex avaritia et lucri studio proprie esse profectum. Demetrius enim statim sic incipit: *'Ανδρες, ἐπίςασθε, ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστι.* Tum pergit: *οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδινεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν· ἀλλὰ καὶ τό τῆς μεγάλης θεᾶς 'Αρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι* &c. Quibus auditis alii fabri et artifices ira commoti exclamarunt: *Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις 'Εφεσίων!* deinde tumultus totam urbem implevit, magnaque hominum caterva, quæ Paulum nancisci non poterat, duos eius comites, Caium & Alexandrum, prehendit, ut hosce in theatrum deduceret. Jam Paulum ad populum dicendi causa proditurum discipuli retinuerunt; Asiarchæ autem

Ephesini reverentiam et amorem, quo apostolum colebant, hac occasione ita præ se ferebant, ut appareat, Paulum, qui circiter triennium Ephesi commoratus esset (Act. 19, 8. 10. 20, 31), modestissimum semper et prudentissimum se gessisse. Quum vero concio Ephesiorum omnino esset confusa, et, aliis aliud clamantibus, plerique nescirent, cuius causa re vera ageretur, Judæi sine dubio suspicari coeperunt, fieri posse, ut vulgus ipsos peteret, præsertim quum eiusmodi persequutiones propter aliarum religionum contemptum sæpius sibi attraxissent. Propellunt igitur Alexandrum quendam [1]), qui causam ipsorum agat, culpamque in Christianos transferat; at, quum gentiles hunc, diis infestum, cognovissent, ira et clamor in immensum adcrevit. Tandem ὁ γραμματεὺς (cfr. *Hemsen*, l. c. pag. 232) publicam tranquillitatem restituit. Non sine magna prudentia Ephesios monuit, Dianæ numen adeo ab omnibus celebrari et coli, ut non modo inutile, verum et stultum esset, præcipitanter aliquid in hac re agere; præterea ostendit, Christianos neque sacrilegos esse, neque deam irrisisse, Ephesios autem curare debere, ne turbulenta illa concione plus sibi damni attraherent, quam quod prædicatio Pauli afferre valeret, si forte Romani hujus seditionis ipsos reos facerent. — Quod hæc res Paulo tam prospere cessit, sine dubio inde factum est, quod, ut cæteri gentiles, humanitate et scientia exculti, ita magistratus Ephesini non sine contemptu superstitiosam plebem commiserati sunt, quæ deorum simulacra coleret, perinde ac si ista essent ipsa numina, quum sibi non nisi symbola naturarum superiorum & invisibilium apparerent [2]).

Iam nihil de ratione Paulum inter et gentiles ante legi-

---

1) Num idem sit Alexander, qui in 2 Tim. 4, 14 appellatur ὁ χαλκεύς?

2) Cfr. Act. 14, 13 ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως. "Die eigenthümliche Ausdrucksweise, die sich hier zu Tage legt, ist daraus zu erklären, dass man nach der rohen Volksvorstellung das Bild wirklich für den Gott nahm." *Olsh.*

tur, qvam in Act. 21, 28 seq. de captivitate Hierosolymitana fit mentio. Hierosolymis enim Judæi tumultum excitaverunt, quod templum, quo Græcos homines Paulus introduxisse existimaretur, ab apostolo profanatum esset. Jam vero quum necem ei pararent, Lysias chiliarchus cum militibus centurionibusque decurrit Paulumque catenis ligari iussit; nam ita demum contigit Paulum e manibus Judæorum eripere. Lysias vero ipse Paulum hominem esse seditiosum, a quo maiores tumultus iam antea excitati essent (v. 38. Joseph. Antiqq. 20, 8. 6), initio suspicabatur. Sed ex Act. 23, 10 seq. 19 seq. crescentem ejus erga Paulum benevolentiam cernimus, adeo ut in epistola tandem, qvam ad Felicem Procuratorem dedit (23, 26-30), captivum apostolum testimonio suo commendaret. — Coram Felice rhetor quidam, Tertullus, qui causam Judæorum coram procuratore agere debebat, Paulum denuo accusavit, quod templum profanare conatus esset: Felix apostolum innocentem esse persuasum quidem habuit, attamen, quæ sua erat avaritia, in vinculis per duos annos eum retinuit (24, 26). Denique apostolum Festo, successori suo tradidit, sperans fore, ut ita in gratiam Judæorum rediret, et ab accusatione illa liberaretur, qvam propter vexationes & direptiones suas timeret (v. 27). Cæterum in Felice et Festo duo illa animadvertimus, quibus evangelii in gentilibus profectus præcipue impediebatur; nam in hoc negligentia rerum divinarum, in illo autem pectus male præparatum gravissima objecit impedimenta, quominus veritati a Paulo traditæ animi paterent. (cfr. Act. 24, 25. 25, 19).

Quæ vero ob sapientiam & moderationem, qua Paulus cum Judæis egit, contingit laus, eandem ea quoque meretur ratio, qua in gentilibus tractandis usus est. Quod in evangelio prædicando a Judæis atque proselytis portæ instituendis semper initium fecit, id provida mente ab eo observatum esse, jam antea illustravimus. Præterea gravissimum est

animadvertere, Paulum semper operam dedisse, ut novam doctrinam veris illis sententiis et placitis, quæ, licet inscitia et superstitione fucata, in religionibus gentilium obscure continerentur, annecteret; id igitur eum laborasse, ut celsissimas illas ubique sparsas ideas de numine divino humanarumque et terrestrium rerum dependentia, ab erroribus polytheismi liberaret. Hinc a Paulo exordium et gravissimam prædicationis materiam sumptam esse, quotiescunque solos gentiles alloqueretur, ex duabus illis orationibus videmus, quæ Lystræ et Athenis (14, 17 seq. 17, 23 seq.) habitæ sunt. Quantumvis enim de oratione Atheniensi (ἀγνώςῳ θεῷ v. 23) disputatum sit[1]), id tamen extra omne est dubium, Paulum, qvæ in religione Græcorum veritatis rudimenta invenerit, iis tanqvam fundamento institutionis usum fuisse. Quanta vero prudentia apostoli in sermonibus ad varios audientium animos temperandis! Quam differt illa in colle Martio oratio ab omnibus, quas in synagogis Judæorum habuit! ad liberaliorem enim Græcorum humanitatem plane est composita. — Ut Paulus, quando cum Judæis egit, fanatismo eorum nunquam ita restitit, ut animos eorum temere exacerbaret (p. 65), ita inter gentiles versans martyrii gloriam nunquam ultro ipse oppetiit, neque molestias et ærumnas incaute auxit, nisi necessitas et officium, ut capitis periculum adiret, flagitaverint. Quum Lysias eum, anteqvam a iudice interrogaretur, virgis cædi iussisset, Paulus id impedivit, declarans, se civem Romanum esse, (22, 25). Quodsi quæritur, cur non eadem agendi ratione Philippis uteretur, ubi magistratus contra jus & fas Paulum Silamque virgis cæsos in carcerem conjicerent, ratio inde repetenda esse videtur, quod Paulus intellexit, in tanto tumultu vocem suam exaudiri non posse; poenam igitur sibi inflictam æquo animo passus est; postridie autem, postqvam animi sedati sunt et magistratus ipsi se præcipitanter egisse intellexerunt, ad civitatem illam Romanam provocavit, ut ma-

1) Cfr. *Hemsen l. c.* p. 145 Anm.

gistratum Philippensem ad illatam iniuriam reparandam cogeret. — Denique in Paulo ne vestigium quidem illius fanatismi apparet, quo alii evangelii prædicatores tam sæpe religiones gentilium adorti sunt. Magistratui Ephesino carus erat (19, 31), quid! quod γραμματεὺς ille apostolum ejusque comites οὔτε ἱεροσύλους οὔτε βλασφημοῦντας τὴν θεὸν (Ἄρτεμίδα), professus est (19, 37). Eandem sententiam a magistratibus Thessalonicensibus & Corinthiacis de Paulo latam esse, apparet ex Act. 17, 5-9 et 18, 12-16. Felix et Festus, qui nulla alia ratione ad causam Pauli aliqua ex parte curandam permoti sunt, quam quod Judæis gravissimi esse momenti videbatur, majori certe in Paulum usi essent atrocitate, si minus modestum et placidum apostolus cum discipulis suis se gessisset. Præterea neque illarum urbium magistratus, neque Lysias chiliarchus tanta erga apostolum benevolentia affecti fuissent, nisi æquitatem eius et temperantiam animi cognovissent. Juvat quoque animadvertere, qvantum existimatio et amica gentilium voluntas paullatim adcresceret, quum res & personam Pauli accuratius cognoscere ipsis contigisset: id in Lysia, id in Julio (27, 3. 43) cernitur, in præfecto denique prætorio (28, 16), qui sine dubio et Julii et Festi testimoniis, ut Paulum clementius tractaret (28, 16. 30. 31), permotus est.

Quæ de ratione Paulum inter & adversarios ejus e Judæorum gentiliumque numero intercedente hactenus disputavimus, plerumque ex *Actis Apostolorum*, qui fere solus est fons nobis hac de re consulendus, repetita sunt. In monumentis enim, quæ ab ipso Paulo relicta sunt, copia raro facta erat de Judæis & gentilibus ita agendi, ut singularis, qua Paulus cum iis utebatur, ratio commemoraretur. Quando in epistolis Paulinis hominum fidem Christo denegantium mentio fit, apostolus plerumque id tantummodo agit, ut Christianos ad constantiam & patientiam cohortetur in calamitati-

bus & injuriis perferendis, quarum Judæi & gentiles exstiterint autores. Interdum quoque incredulorum hominum ita injicitur mentio, ut comparatio instituatur inter eorum cogitandi vivendique rationem, qui Christo addicti, atque mores eorum, qui beneficiorum per Christum partorum expertes essent (Eph. 2, 11-14 sqq. Col. 1. 13. 3, 5-10. Gal. 4. 8. 9). Ubi vero Paulus passim in eo est, ut Judæos & gentiles vel rationibus impugnet vel res historicas narrando commemoret, magnus ille & nobilis, quo semper excelluit, animus nescio an ulla occasione magis illuscescit. Nam quum fervidissimo veritatis evangelicæ & virtutis christianæ amore duceretur, adeo ut vitia & facinora incredulorum hominum gravissimo odio haberet, nunquam tamen vehementiori animi impetu ita abripi se patiebatur, ut ignobiliori partium studio indulgeret, vel odium & fastidium *rerum* in *personas* transferret. Turpitudinem morum Judæorum & gentilium vividis quidem coloribus depinxit, sed sine ira & studio, adeo ut quæ graviter de iis dicta sunt in Rom. 1, 21-32. 2, 17-24. 3, 10 sqq. 1 Cor. 6, 11 cfr. vv. 9. 10. 1 Thess. 4, 5. Eph. 2, 3. 5, 8 sqq. Col. 3, 6. 7. omnino iis respondeant, quæ a profanis scriptoribus de indole & moribus hominum illius ævi memoriæ prodita sunt. Apostolo præterea, quamvis justa illorum facinorum indignatione correpto, memoria non excidit, vel in pessima hominum sentina vestigia nobilioris indolis passim eminere (Rom. 2, 14. 15. 26). Neque odio perversitatis & neqvitiæ ita ardebat, ut haud secum perpenderet, quantopere singuli homines a moribus civium, quibuscum versarentur, dependerent, quo fieret, ut singulorum culpa, si non excusaretur, certe tamen imminueretur. Hinc enim factum est, ut moralem illam pestem, qua homines illius ævi laborabant, ex deploranda inscitia & veri ignorantia sæpius repetat (Eph. 2, 11 sqq. 5, 8. 1 Cor. 2, 8 *εἰ γὰρ ἔγνωσαν, οὐκ* — — — 2 Cor. 4, 4. *ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα τῶν ἀπίστων.* Rom. 10, 2 (de Judæis) *ὅτι ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπιγνώσιν*), quanquam, ubi rem subtilius conside-

rat, satis clare indicat, hoc pestiferum ignorantiæ contagium primas rursus origines ducere ex perversitate animi a Deo alieni (Eph. 4, 18 ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ — — διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας [1]); cfr. Rom. 1, 18 sqq. 2 Cor. 3, 14).

Pluribus locis diversa malorum & calamitatum genera enumerat, quæ sibi a Judæis & gentilibus erant illata (2 Cor. 6, 4-10. 11, 25 sqq. Eph. 3, 1. 6, 20. Col. 4, 3. 19. 2 Tim. 1, 17) haud tamen eo consilio, ut adversarii illi in gravius incurrerent hominum Christianorum odium, sed ut eo clarius perspiceretur ab hisce, quantæ curæ sibi esset religio, cujus causa hæc mala sustineret, necnon socii fidei excitarentur ad eandem constantiam præstandam, qua ipse excelleret. Quanto denique popularium suorum, qui hostes ejus erant acerbissimi crudelissimique, amore duceretur, luculentissime indicant verba ejus memoria dignissima, quæ exstant in Rom. 9, 1 sqq.; quemadmodum sententia de studio Judæorum avitæ religionis Rom. 10, 2 pronuntiata aperte docet, afflictiones & injurias vel gravissimas Apostolum haud adducere valere, ut iniquius justo de adversariis suis statueret. Neque cogitatio de ipsa morte cruenta mox obeunda, quæ animo ejus sæpius obversabatur (Phil. 2, 17. 2 Tim. 4, 6. 17. 18. 1 Cor. 15, 31. 2 Cor. 4, 10), graviores ullas querimonias ei extorquere valebat. Divinam vindictam non provocat in ho-

1) — — — "Wir können uns kaum entschliessen zu glauben, das er hier nur eine unverschuldete, aus blossem Mangel an Belehrung hervorgegangene Unwissenheit meine, sondern finden uns fast genöthigt, eine innere moralische Ursache derselben zu denken, und daher die ἄγνοια selbst als eine Stumpfheit des höheren Erkenntnissvermögens, eine sittliche Unverständigkeit aufzufassen, und werden in dieser Annahme dadurch bestärkt, dass er diesem Gliede parallel, und als Erweiterung oder Erklärung desselben die Worte hinzusezt: διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτων." *Rückert, der Brief Pauli an die Epheser*, ad h. l.

stes suos, sed certam indicat spem, fore, ut mors sua saluti civitati christianæ promovendæ inserviat (Phil. 2, 17)[1].

§ 6.

Christiani pravis moribus dediti.

Præter Judæos & gentiles, haud pauci in ipsa civitate christiana studiis Pauli cæterorumque apostolorum adversabantur, quum nomen Christi ore quidem profiterentur, sed vita & factis denegarent (Phil. 3, 18. Rom. 16, 18. 2 Pet. 2, 1. Jud. 4 al.) Nam etiamsi primæva ecclesia summo jure, si universitatem totius civitatis christianæ spectes, exemplum vulgo proponitur sinceræ pietatis & sanctimoniæ, observandum tamen est, ne eo quidem tempore, quo nova religio immutationem animi prorsus insolitam in plerisque cultoribus suis excitasset, defuisse Christianos, qui libidinibus sensualibus indulgentes terrestribusque commodis inhiantes vitam evangelio Christi parum dignam agerent. Inter eos enim, qui evangelio ab apostolis Jesu annuntiato assensum præbuerant, multi potestate veritatis subito correpti, nonnisi per breve tempus nobiliorem animi indolem, quæ in iis fuerat excitata, alere & fovere valebant. Quando hi gravioribus exponebantur tentationibus, ad pristinam vitiositatem facile delapsi sunt. Alii sacra christiana amplexi fuerant, rationibus ducti, quæ a religione erant alienæ; nam præter spem illam satis terrestrem, quam multi in apparitione regni Messiani jamjam futuri collocabant, studium benignum, quo Christiani necessitatibus pau-

1) Huic laudationi unus locus obstarè videri potest: in 2 Tim. 4, 14 Apostolus mala commemorat sibi ab Alexandro fabro quodam illata, hoc voto addito: *ἀποδώη αὐτῷ ὁ κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτῦ.* Sed ex admonitione, quæ hæc verba excipit: *ὃν καὶ σὺ* (Timotheus)*φυλάσσε, λίαν γὰρ ἀνθέστηκε τοῖς ἡμετέροις λόγοις* (v. 15), ultro apparet, Paulum acerbo dolore percussum non tam damnum personæ suæ, quam muneri suo apostolico ab Alexandro illatum respexisse.

perum sibi addictorum succurrere solebant, sine dubio haud paucos ad partes novæ sectæ trahebat. Ita saltem ex epistolis Pauli ad Thessalonicenses datis constat, in hac ecclesia fuisse, qui ignaviæ indulgentes sociis fidei molestias crearent, beneficentia eorum temere imploranda, 1 Thess. 4, 11. 12. 2 Thess. 3, 10. 11. Pessimi illi mores, quibus plerique Christiani præsertim e gentilium numero, antequam nomen Christo dederunt, dediti erant, non subito animis eorum evelli poterant, quare semper opus erat, ut apostoli gravissimis admonitionibus, cohortando, suadendo, minando homines ex summa vitiositatis sentina ægre ereptos in studio pietatis & virtutis confirmarent. Quando Paulus in 1 Cor. 6, 9-10 homines describit, qui indigni sint felicitate olim in regno Messiano futura: *πόρνοι, εἰδωλολάτραι, μοιχοὶ, μαλακοὶ, ἀῤῥενοκοῖται, κλέπται, πλεονέκται, μέθυσοι, λοίδοροι, ἅρπαγες* — simul addit: *καὶ ταῦτά τινες ἦτε* (v. 11). Multi errores ex pristino Judaismi vel Gentilismi statu residui animis fidelium etiamnum inhærebant eorumque mores inficiebant. Eædem animi perturbationes, quæ semper materiem suppeditabant dissidiorum, rixarum, malorum denique omnium, quibus homines insipidi mutuo se vexant atque affligunt, vim perniciosam etiam in cætibus Christianis apostolicis exserebant (invidia & cupiditas habendi 1 Cor. 6, 1-8 — arrogantia & vanæ gloriæ studium Phil. 2, 2-3. Gal. 5, 26. 6, 3. 1 Cor. 8, 1 sq. cfr. 1 Cor. XII-XIV, gloriatio de *χαρισμάσι*, inprimis de facultate *τῦ γλώσσαις λαλεῖν* — avaritia 1 Tim. 6, 10. — obtrectatio, calumniandi studium Eph. 4, 26. 31. 32 — ignavia 1 Thess. 4, 11. 2 Thess. 3, 10. &c.) Quæ omnia si consideraveris, non miraberis, in societate christiana primi ævi vestigia reperiri vitiorum, quæ, laus Deo! haud facile hodie in cætibus christianis deprehendantur (1 Cor. 5, 1 sqq. 11, 18 sqq. cfr. Jud. 12), neque obstupesces, quod Paulus in epistola ad Ephesios necessarium duxerit lectores christianos monere, ut a furto & ebrie-

tate abstinerent[1]). Eph. 4, 28. 5, 18). — Ne hæc perversorum quorundam vivendi ratio mores reliquorum Christianorum corrumperet (1 Cor. 15, 33) vel famam societatis christianæ apud exteros læderet (Rom. 3, 8. 1 Tim. 6, 1. Tit. 2, 5. cfr. 2 Pet. 2, 2), Paulo ut reliquis apostolis gravissimum semper videbatur periculum. Quæ nobis servata sunt monumenta apostolorum epistolica, fere omnia ex hoc studio, ut Christiani ab istis vitiis immunes servarentur & in *studio* fidei & pietatis, cui tentationes diversissimi generis minabantur periculum, confirmarentur, profecta sunt. Paulum igitur ut reliquos apostolos in hoc occupatissimum invenimus, ut admonendo & corhortando imbecilliores ad pietatis virtutisque studium excitet, castigando & minando contumaciores coerceat atque deterreat. Quæ omnia si nihil proficerent flagitiosos illos homines a cætibus christianis arceri & removeri diserte jussit (1 Cor. 5, 5. 11. 1 Tim. 1, 20. Tit. 3, 10).

Verum præter hæc vitia, quæ a vulgari hominum improbitate & nequitia profecta erant, alia, quæ ex theoreticis quibusdam erroribus primas origines duxisse videbantur, gravissimum impedimentum studiis Apostoli nostri objiciebant. Hæc igitur jam accuratius inspicienda erunt.

---

1) *De Wette (Einl. i. d. N. T.* § 146 b) inter alia argumenta, quæ suspicionem moveant de authentia epistolæ ad Ephesios, etiam hoc affert: "die unzarten Ermahnungen 4, 28. 5, 18." Sed huic objectioni *Rückert (Der Br. P. an die Eph.* p. 305) recte opponit: "Ob die Ermahnungen IV, 28. V, 18 zart oder unzart sind, weiss ich nicht; aber dass weiss ich, das wenn sie nöthig waren — — — nicht darnach zu fragen war, wie zart sie wären, d. h. eigentlich wie zart sie unserm heutigen Geschlecht erscheinen würden."

CAPUT SECUNDUM.

Adversarii Pauli, qui, licet Christo nomen dedissent, a doctrina tamen Christiana, qualis a Paulo tradebatur, discedebant.

§ 7.

Qui partibus Pauli addicti quidem erant, sed neglecta temperantia & moderatione ab apostolo præscripta doctrinam ejus perperam interpretabantur.

Quum ex iis, quæ in Prolegg. et in Cap. Primo disputavimus, intellectum sit, rationem, qua Paulus evangelium traderet, in universum nonnisi eo ab institutione reliquorum Jesu legatorum discessisse, quod notionem *libertatis christianæ* plenius constitueret fortiusque defenderet, per se exspectare licet, adversarios, qui sensu strictiori Paulo Apostolo *proprii* dici possint, fuisse eos, qui illam doctrinam aut ita amplecterentur & tuerentur, ut consilio, quo Paulus eam proposuisset, quamvis inviti obstarent, aut, quum eam veram esse sibi persuadere non possent, repudiarent impugnarentque. De priori hominum genére jam dicendum est.

Inter beneficia, quæ Jesus Christus piis cultoribus suis promisit, hoc quoque erat, quod per evangelium ipsius in veram restituerentur libertatem (Joh. 8, 31 sqq); id quod eventu comprobatum est, quum non solum a vitiositate & libidinibus, quarum servitio adstricti fuissent, liberarentur, verum etiam grave & molestum jugum, quod lex Mosaica cervicibus eorum imposuisset, suavi & grato jugo evangelii (Ὁ γὰρ ζυγός μȣ χρηστὸς καὶ τὸ φορτίον μȣ ἐλαφρόν ἐστιν Matth. 11, 30) permutarent (cfr. Act. 15, 10. v. pag. 34). Lex enim Mosaica homines ad virtutem exercendam & vitiositatem effugiendam nonnisi præmiis & minis impellere poterat; præceptis & ritibus diversissimi generis vitam humanam

intra limites probitatis & honestatis coercere & regere studebat, haud vero efficere valebat, ut homines vitam & mores ad voluntatem divinam alacri & promto animo sponte componerent. Qui legem divinam a Mose promulgatam sincera reverentia prosequebantur, eatenus quidem libertate gaudebant, quatenus non amplius peccatorum vitiorumque vinculis constricti tenebantur, sed ex altera parte servitutis conditione etiamnum utebantur, quatenus hanc legem divinam tanquam alienam, extrinsecus sibi impositam considerabant, quatenus præcepta ejus diligenter quidem observabant, haud vero amore & impulsu quodam lætiore ad ea observanda ducebantur. Sed Christus autor exstitit longe felicioris rerum humanarum conditionis: per fidem enim ei habitam ejusmodi animi indoles in cultoribus ejus excitata est, ut voluntati divinæ, quantum in ipsis erat, omnibus numeris satisfacere studerent cogitando, sentiendo, agendo, haud ulla aliena vi coacti, sed tenerrimo & fervidissimo in Deum & Christum amoris affectu ducti: homines Christiani, amore & grato animo in Deum & Servatorem commoti, exemplo Christi sibi ad imitandum proposito ducti voluntatem divinam non ut legem aliunde sibi impositam, sed tanquam ex intimo ipsorum animo, Spiritu Sancto juvante, profectam tenebant. Hæc notio libertatis christianæ quum ab omnibus quidem Jesu apostolis animo concepta sit, adeo ut ii quoque, qui cum fide in Christum observantiam legis Mosaicæ jungebant, religionem christianam ut νόμον τῆς ἐλευθερίας celebrarent (cfr. Jac. 1, 25. 2, 12. 1 Pet. 2, 16), Paulus tamen, ut antea illustravimus, is erat, qui plenam hujus libertatis potestatem primus omnium plane perspiceret. Nam is demum clare intellexit, si per christianam religionem is animus in cultoribus Jesu excitatus esset, ut sponte & interno impulsu voluntati divinæ satisfacere studerent, non amplius opus esse omnibus iis legis Mosaicæ præceptis, quæ olim eo consilio fuissent rogata, ut tanquam virtutis præsidia Judæos in studio probitatis munirent iisque obsequium Deo præstandum semper in memoriam revocarent

(cfr. pag. 25). Longe præstantiora enim incitamenta & præsidia virtutis contineri evangelio Christi (Rom. 8, 3 sqq.) Ita quoque se habere cum iis præceptis legis Mosaicæ, quæ ad Judæos a communione aliarum gentium arcendos imperata fuissent, ne ad idololatriam & vitiositatem, cui gentiles indulgerent, delaberentur. Nam quum etiam gentilibus, qui ad christiana sacra transiissent, Christus existeret vitæ regendæ principium & exemplum (Gal. 2, 20), Apostolus noster periculum illud sublatum esse recte judicavit, quod piis Dei cultoribus antea oriri potuisset ex corruptis eorum moribus. Sepimenta igitur illa, quibus antea Judæi salutari modo a gentilibus distingverentur, ex eo tempore diruenda esse statuit, quo non amplius salutari illi consilio inservirent; sin minus, metuendum esse, ne exinde periculum oriretur tranquillitati & saluti civitatis christianæ (Gal. 2, 4. 5. 5, 1. 13. 2 Cor. 3, 17. Eph. 2, 14 sqq. Col. 3, 11. Gal. 3, 28. 5, 6. 1 Cor. 7, 19). Paulus igitur libertatem illam, ut ita dicam, idealem, qua omnes omnino sinceri Christi cultores gaudebant, etiam in vitam & consuetudinem Christianorum adeo transtulit, ut ipse unacum discipulis suis missam faceret disciplinam Mosaicam, quatenus præcepta complectebatur ejus generis, quod descripsimus.

Sed quum ita Paulus magnam partem præceptorum legis Mosaicæ antiquitatam esse judicaret, quippe quæ nonnisi ad tempus autoritate valere deberent, apostolum minime fugit, lege Mosaica contineri etiam alia præcepta, quorum autoritas nunquam tolli posset, siquidem eam haberent vim, ut sine eorum observatione homines vitam piam & sanctam agere non possent. Quid vero? intellexit plenam horum præceptorum vim & potestatem per christianam demum religionem rite agnitam esse, quum antea nonnisi imperfecta eorum adumbratio animis hominum obversata fuisset. Horum præceptorum ratione habita Paulus, qui aliis multis locis docet, legem Mosaicam per evangelium Christi abrogatam esse, Rom. 3, 31 ad quæstionem propositam: Νόμον οὖν καταργοῦμεν

διὰ τῆς πίςεως; respondere potuit: *Μὴ γένοιτο· ἀλλὰ νόμον ἱςῶμεν.*

Hanc vero distinctionem instituere eo difficilius erat illorum temporum hominibus, quo arctius diversissimi generis præcepta in lege Mosaica juncta erant. In hac enim præcepta de sincero in Deum & homines amore præstando eadem autoritate divina injuncta erant, qua præcepta de circumcisione, de lustrationibus, de diebus festis & quæ his sunt similia. In duo igitur devia sibi invicem contraria homines Christiani primi œvi facile deducebantur: aut sibi persuadebant, totam legem Mosaicam vel etiam diligentius quam antea observandam esse, adeo ut jacturam facerent ejus libertatis, in quam Christus eos restituere voluisset (Gal. 5, 1. *Τῇ ἐλευθερίᾳ, ᾗ ἡμᾶς Χριςὸς ἠλευθέρωσε, στήκετε καὶ μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε*); aut notionem libertatis christianæ ultra justos limites ita extendebant, ut sibi ea quoque permissa esse arbitrarentur, quæ tamen in servitutem vitiorum non possent non ipsos abripere (Gal. 5, 13. *Ὑμεῖς γὰρ ἐπ' ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε, ἀδελφοί· μόνον μὴ τὴν ἐλευθερίαν εἰς ἀφορμὴν τῇ σαρκί.* cfr. 1 Pet. 2, 16).

Quo fortior exstitit Paulus libertatis christianæ vindex, eo facilius ii præcipue homines, qui huic Apostolo addicti erant, in hunc posteriorem errorem deducebantur, præsertim in iis cætibus, qui Judæo-Christianis & Ethnico-Christianis mixti erant. Nam, ut fit, nimia illa tenacitas, qua Judæo-Christiani disciplinam Mosaicam plerumque amplectebantur, adeo ut et ipsi vel leviora ejus præcepta diligentissime observarent eademque ab aliis omnibus observanda flagitarent, necnon arrogantia inde oriunda, qua Christianos e gentilium numero offendebant, effecit, ut hi ipsi, qui autore Paulo intellexerant, quam vana esset illa judaizantium superbia, in contrarias sæpe raperentur partes, adeo ut vel a foedissima illa cogitandi ratione prope abessent, quam postea Gnostici quidam aliique hisce similes profitebantur: licere homini Christiano satisfacere cuivis libidini voluptatique corporis, quippe

quod ad ἀδιαφορα pertineret. Vestigia hujus erroris in epistolis Pauli ad Corinthios datis reperiuntur. "Πάντα 'μοι ἔξεστι" (1 Cor. 6, 12. 13. cfr. 10, 23) videtur tessera & symbolum fuisse Corinthiis quibusdam, qui libertatem christianam ultra justos modos extendentes unacum discrimine inter cibos puros & impuros aliisque præceptis leviticis ejusdem generis per doctrinam evangelii sublatis præcepta quoque de castitate, de abstinentia, de impura Venere sublata esse, sibi aliisque persuadere volebant. (Τὰ βρώματα τῇ κοιλίᾳ καὶ ἡ κοιλία τοῖς βρώμασιν ..... Τό δὲ σῶμα οὐ τῇ πορνείᾳ). Concedendum quidem est, ex admonitionibus Pauli 1 Cor. 6, 12-20 propositis non certo conjici posse, in ecclesia Corinthiaca vere fuisse, qui eo usque licentiæ essent progressi; nam Paulus fortasse id tantummodo agere voluit, ut ab ejusmodi turpissimis flagitiis dehortaretur eos, qui facile propter præposteras notiones de libertate christiana in periculo versarentur, ne in foedissima flagitia delaberentur. Sed quæ de moribus Corinthiorum ex aliis monumentis [1]) &

1) "Rebus secundis animi civium luxuriabant; veteres eos appellabant *libidinosos*, *ebriosos*, *superbos*, *arrogantes*; adeo referta erat Corinthus hominibus lascivis & voluptuosis, ut *omnibus libidinibus indulgere* παροιμιακῶς diceretur: κορινθιάζειν, & Κορινθία κόρα *Platoni* ea sit, quæ se vulget. Scortationi inprimis & rebus venereis deditissimi erant Corinthii, *Diogenis* Cynici, qui aliquamdiu in urbe eorum vixerat, sententiam adoptantes: "scortationem, incestos etiam, qui dicuntur, concubitus in se nihil habere mali," (δεῖν τὸν πείσαντα τῇ πεισάσῃ συνεῖναι, *Diogen. Laert.* in vita Diog.) *Heydenreich*, *Comment. in priorem P. ep. ad Cor.* p. IX. — Concedo quidem, hoc per se nihil probare de moribus Corinthiorum, qui sacra christiana amplexi essent, sed observatum tamen velim, quod omnium temporum experientia confirmatum sit, fallaciorem non esse sophistam, quam animum cupiditatibus voluptuosis irretitum, doctrinamque de libertate christiana, ut docet historia ecclesiastica, sæpius prætextam esse facinoribus voluptatis & amoris illiciti. Si Corinthi fieri potuit, ut homo Christianus, sive antea Judæus sive Judaismi proselytus fuerit, placitis judaicis

quæ de moribus eorum, qui in hac urbe Jesum Messiam profitebantur, ex epistolis Pauli ad eos datis (1 Cor. 5, 1 sqq. 10, 8. 11, 20-23 al.) cognita sunt, suspicionem movent, illas admonitiones homines vere ita sentientes respicere. Hoc saltem constat, Paulum, quum in iis refutandis versatur, qui Corinthi doctrinam de resurrectione mortuorum repudiabant, haud obscure indicare, hunc errorem nutriri corruptis quorundam moribus (1 Cor. 15, 53). Jam vero, quum in refellenda vana illa opinione de fornicatione tanquam re nullius momenti præcipuum repetat argumentum e resurrectione mortuorum (6, 14), non inepte statui posse videtur, utrumque errorem habuisse Corinthi, qui se tuerentur[1]). Ubi vero *Neander* (A. G. p. 306) ex eo, quod Paulus non acerbius in illos homines invehatur, conjicit, Corinthios, ad quos illæ admonitiones spectarent, non eo usque erroris progressos esse, ut theoreticis rationibus voluptates impuras tanquam indifferentes defenderent: — majore jure inversa vice concludi posse videtur: propterea quod dissoluti mores Corinthiorum quorundam a Paulo non acerbius castigantur, hæc flagitia ex

---

de proselytis a vinculo consangvineitatis, quo antea adstricti fuissent, solutis, (v. *Hug, Einl. in d. N. T.* 2 Th. p. 364) sophistice abuteretur ad *amores impios* cum noverca, quam sibi alienam putaret, defendendos & excusandos (1 Cor. 5, 1 sqq.), quid impedit, quo minus statuamus, fuisse Ethnico-Christianos in eadem ecclesia qui facinora illi similia argumentis sophisticis defendere studerent e doctrina de libertate christiana petitis?

1) Contrariam sententiam defendunt *Neander* (A. G. I. p. 306. In der That finden wir hier den Keim einer einseitigen Überschäzung theoretischer Aufklärung, eines Misverstandes der christlichen Freiheit, eines falschen Adiaphorismus in der Sittenlehre, welchen eine spätere pseudopaulinische gnostische Richtung so weit bis zur Rechtfertigung aller unsittlichen Lust treiben konnte. Die Verdreher der christlichen Freiheit zu Korinth trieben aber gewiss ihren Missbrauch noch nicht *so weit*); & *Rückert* (D. erst. Br. an d. Kor. 1836 p. 174 sq.)

errore profecta esse existimanda sunt. Contra eos enim, qui impuris libidinibus se tradidissent, quamvis conscientia ipsorum de hac turpitudine eos moneret, acerbe dictis utendum fuisset; contra eos vero, qui (non quidem sine sua culpa, hæc enim a graviori errore nunquam abest) sibi persuasum haberent, mores dissolutos inter ἀδιάφορα esse numerandos, argumentis pugnandum erat, quæ ipsos erroris convincerent atque pudore afficerent, haud vero obtrectationibus duris & iniquis, quæ peccantes exacerbare, haud vero emendare possent [1]). Idcirco Paulus homines illos ita reprehendit, ut monstret, libidines venereas neutiquam inter ἀδιάφορα esse referendas nec effrænatam libertatem pro lubitu vivendi Christianis concessam esse; eos non sui juris, sed Dei Christique mancipia; ipsa Christianorum corpora Deo & Christo sacra; corpore igitur olim reviviscente & glorificando ac membris illius non ex ipsorum arbitrio utendum esse vel abutendum; eos, qui Christo adhærere debeant illique sint consociati, nullo pacto decere, ut cum scortis corpora misceant, quoniam cum talibus se miscentes omnem cum Domino communionem & unionem rescindant atque disrumpant: nostrum

1) Quando vero *Rückert l. c.* dicit "Es muss doch immer auffallen, dass Paulus — — — einer so bewussten, ich möchte sagen systematischen, Behauptung eines Sazes, der seinen ganzen Abscheu erregen musste, nicht heftiger, *nicht einmal mit einem μὴ γένοιτο entgegentritt*, sondern in so grosser Ruhe von der Sache handelt, als habe er nur zu warnen, keinen Frevel zu bestrafen" — nescio an oblitus sit, Paulum v. 15 solito suo: *Μὴ γένοιτο.* horrorem, quo ejusmodi libertatem effrænatam prosequeretur, diserte enuntiasse. — In his tandem rebus dijudicandis bene tenendum est, mores gentilium veterum, quippe qui a notione castitatis & puritatis, qualis per religionem christianam efformata est, alieni essent, facile efficere potuisse, ut haud pauca hominibus illorum temporum, vel postquam Christiani facti essent, ferenda esse viderentur, quæ puræ & castæ evangelii indoli omnino adversari nobis videantur.

esse, ut corporis æque ac animi vires ad nutum Dei paratæ sint, illius voluntati obtemperent, ad officia illi præstanda & in gloriam illius adhibeantur & collocentur [1]).

Alii, qui assensum doctrinæ Pauli de libertate christiana præbebant, haud quidem in tam gravem errorem delapsi erant, sed propter nimiam, quam in cognitione sua perfectiore collocabant fiduciam, in summum discrimen cum fidem & religionem tum animi pietatem morumque sanctitatem adducebant. Ad hoc hominum genus ii referendi sunt Corinthii, qui, quum ore gererent doctrinam sæpius a Paulo inculcatam: *Πάντα μοι ἔξεστι,* 1 Cor. 6, 12. *Πάντα μέν καθαρά,* Rom. 14, 20. *Οὐδὲν κοινὸν δἰ' αὐτῦ, εἰ μὴ τῷ λογιζομένῳ τι κοινὸν εἶναι, ἐκείνῳ κοινὸν* Rom. 14, 14. *Πάντα μέν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς* Tit. 1, 15., ad epulas, quæ a gentilibus, peractis sacrificiis, institui solebant, accedere non dubitabant, quum a propinquis & amicis invitati essent, quin etiam in ipsis delubris accumbere non verebantur (1 Cor. 8, 10. 10, 27). Ad hanc rationem defendendam hac argumentatione usi esse videntur: numina paganorum esse commentitia & mera phantasmata; fictos Deos epulis sacris coli; neminem inter Christianos de vera illorum existentia persuasionem sibi inducere; qui vero non credat, illos existere, eum neque convivia sacrificalia in Deastrorum honorem celebrare neque illis adeundis idololatriæ reum & participem fieri; eum igitur posse hac cæna uti eodem jure & conscientia æque illæsa ac cæteris cibis [2]) (1 Cor. 8. 1 sqq.).

---

1) *Heydenreich, ad Cap.* 6. *ep. pr. ad Cor.*

2) Cfr. *Heydenreich* ad Cap. VIII. l. c. Tota hæc disputatio paullo aliter est constituenda, si iis accedendum sit interpretibus, qui verba Pauli & discipulorum ejus: *οἴδαμεν, ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κοσμῳ (καὶ ὅτι οὐδεις θεὸς ἕτερος, εἰ μὴ εἷς)* 1 Cor. 8, 4 cfr. 10, 19. 20. eo sensu accipiunt, ac si Paulus & qui cum eo faciebant, non existentiam Deastrorum in universum denegaverint, sed existentiam tantum eorum, quatenus *divinæ naturæ* haberentur. Sunt enim, qui arbitrentur, Paulum tan-

Apostolus, quanquam concedit, persuasionem illam de vanitate idolorum & idololatriæ vero congruere, causas tamen affert gravissimas, cur epulæ sacrificales nihilominus Christianis essent fugiendæ. Docet enim, eos, qui epulis illis accumbant atque adeo commercia cum profanis eorumque scelerata exempla non sedulo vitent, quam facillime trahi ac seduci posse ad peccata gravissima, quin etiam ad defectionem a religione christiana. (Gulæ enim, ebrietati cæterisque vitiis

dem fovisse opinionem, quam plerique Judæorum posteriorum admitterent, idola gentilium fuisse dæmones malos, qui autores exstitissent hominibus, ut se Dei loco colerent (cfr. Ps. 95, 6. LXX: ὅτι πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν δαιμόνια); Paulum igitur non tam existentiam idolorum, quam divinam horum dignitatem impugnasse (cfr. *Billroth* ad 1 Cor. 8, 5. *"Was das Essen des Opferfleisches betrifft, so wissen wir, dass kein Göze in der Welt ist"* (d. h. dass es nicht wirklich Wesen giebt, die als *göttlich* zu verehren wären, wie es ja die Heiden thaten), *"und dass kein Gott ist als Einer"* (nämlich der christliche). Ad v. 7. *τινὲς δὲ τῇ συνειδήσει τοῦ εἰδώλου: in der Ueberzeugung, dass εἴδωλον ein εἴδωλον,* ein *Gott* sey. Ad Cap. 10, 19. *Was sage ich also? dass es irgend ein εἴδωλον* (einen als Gott zu verehienden Gözen) *giebt? oder ein Opfer, welches mit Recht als wirklichen Gözen geopfert betrachtet würde?* — Contra Billroth *Neander* A. G. 2. p 633: "Wenn aber die Ansicht, dass Paulus die Meinung der Juden von den Gözen als bösen Geistern, welche sich die Anbetung der Menschen zu verschaffen gewusst getheilt habe, in der neuesten Zeit wieder von Manchen vertheidigt worden, so steht doch Bedeutendes ihr entgegen;" sequuntur hæ objectiones copiose expositæ, quarum hæc gravissima esse videtur, quod Paulus in origine idololatriæ derivanda (Rom. I. II.) malos dæmones ne verbo quidem commemoraverit. — *Usteri, Paul. Lehrb.* p. 358 negat, hanc rem ad liquidum perduci posse. "Jedoch lässt sich keineswegs mit Sicherheit beweisen, dass auch Paulus jenen Glauben gehabt, wegen Stellen wie Act. 14, 15. 1 Thess. 1, 9. Gal. 4, 8. 1 Cor. 10, 19, wiewohl es eben so wenig bestimmt wiederlegt werden kann wegen Stellen wie 1 Cor. 8, 5. 10, 20. Eph. 3, 10. 6, 12."

impuris in his commessationibus indulgeri solebat). Id illustratur exemplo antiquorum Israelitarum, qui quum in itinere per desertum Arabicum Moabitis idololatriæ deditis familiaribus uterentur, foedissimis criminibus, serio & vehementer in ipsis vindicatis, se polluerent. Ut Israëlitas, insignibus beneficiis divinis affectos, poenam facinorum admissorum non effugisse, ita Christianos, quamvis majoribus etiam beneficiis divinis ornatos meritam poenam non evolaturos esse, si sibi non temperantes ab epulis istis periculosis nefarie agant in Deum & Christum: fugienda igitur esse illa pericula nec temere in discrimen objectandam fidem, religionem, pietatem, virtutem: diffitendum potius viribus suis, nondum satis exercitatis & roboratis. Alia jam non deesse fidei morumque pericula, quæ evitari non possint: in iis, quibus absque sua culpa subjiciantur, Deum eos adjuturum, ne tentationi viribus majori succumbant; at si ipsi audacter & arroganter nulla necessitate urgente pericula adeant, culpam, si opprimantur, in ipsos recidere (1 Cor. 10, 6-14). Jam id ipsum, quod epulas sacrificales adeant, Christianos idololatriæ suspectos, quid? revera quodam modo participes reddere. Etenim in honorem idolorum epulas istas institui; ad idolorum cultum eos haud minus pertinere, ac sacra Christianorum cæna ad cultum ac venerationem Christi pertineat: qui epulis gentilium sacris accumbat, eum societatem quandam & communionem cum idolis inire ac profiteri eundem in modum, quo epularum sacrificalium apud Israelitas celebratarum conviva ad societatem Jehovæ, cænæque dominicæ consors ad communitatem Christi perveniat, illi se addictum profiteatur, illi vinculo religionis se alliget (1 Cor. 10, 14-21) [1]).

---

1) *Heydenr. l. l. ad Cap. Cap. X.* At quando vir doct. (p. 118) verss. 19 & 20 ita circumscribit: "Verissime judicatis, neque existere, neque aliquid posse idola. At enim vero gentiles tamen iis sacrificantes accumbentesque ad mensas eorum persuasum habent, illa existere..... *Vos ergo, dum interestis atque fruimini epulis religiosis, ex intentione menteque gentilium*

Peccabant porro liberius sentientes, quod in libertate, qua gloriabantur, utenda, non satis respiciebant officia aliis præstanda. Nam qui epulas sacrificales cum gentilibus celebrare tanquam rem indifferentem habebant, autores sæpius erant, ut alii Christiani, qui opinionibus paullo superstitiosis etiamnum adhærebant, ad exemplum ipsorum imitandum allicerentur, quamvis religio ipsos ab hac re deterreret; alliciebantur igitur hi ad peccandum, conscientiam errantem utique, at nihilotamen minus suspiciendam, negligentes, quo facto scrupulis conscientiæ postea pungebantur (1 Cor. 8, 7. 10. 11). Quantum vero culpæ autores tristis hujus seductionis

---

ad idolorum cultum spectantibus, certe vos geritis pro idolorum cultoribus; fertis præ vobis speciem hominum, quibus de existentia idolorum nullum sit dubium." ..... (Cfr. *Mori Epit. theol. ctr.* 260: "hæc est vis epulorum sacrorum h. e. cum religione conjunctorum, in numinis honorem actorum, *ut qui iis intersunt, declarent, se colere numen, in cujus honorem fit epulum sacrum*") sensum hujus loci non penitus exhausisse videtur. Nam sine dubio Paulus plus potestatis inesse voluit illi *κοινωνίᾳ (τοῦ σώματος Χρ', τοῦ αἵματος Χρ', τοῦ θυσιαστηρίου, τῶν δαιμονίων)* quam quod solam professionem externam amplecteretur. Rectius igitur *Beza* (Billr. p. 138): "ejusdem cultus ac sacrificii sunt conscii sive in eodem sacrificio consortes ac socii ac ejus quasi vinculo in eadem religione copulati." Attamen nec *Billroth* (p. 139) vel *Rückert* (ad h. l. p. 279) accedere possum, qui cum Calvino statuunt, potestatem argumentationis Paulinæ omnino infringi, si *δαιμόνια* explicentur per *numina ficta*, "falsche, eingebildete Götter; denn Paulus spricht von einer *wirklichen Verbindung*, in welche der Theilnehmer des Opfermahls eintrete ——— (mit etwas *Wirklichem*)" —.—— Neque enim *reale*, ut ita dicam, *consortium* idolorum tollitur, si statuas, Paulum indicare voluisse: "nolim vos ejus animi, ejus ingenii consortes fieri, quo imbuti sint idololatræ." Quemadmodum enim doctrina & ritus Mosaismi, quemadmodum doctrina & ritus christianæ religionis, ita quoque doctrina & ritus polytheismi vim quandam singularem exserebant in homines, qui hac doctrina & his ritibus utebantur; hujus indolis, hujus ingenii expertes esse Christianos Apostolus voluit.

sibi attraherent, Paulus præclare illustravit provocando ad exemplum Christi. Hic enim, neglectis vitæ periculis, paratissimus fuit ad mortem vel crudelissimam subeundam; ii vero, qui ne ab esu carnium & epulis idololatricis sibi temperare vellent fratrum causa, culpam sustinebant, quod irritum caderet consilium saluberrimum, quo Christus pro his mortem oppetiisset (1 Cor. 8, 12 cfr. Rom. 14, 15).

Ad eas res, quas Paulus per se spectatas licitas & *innocentes* esse declarare non dubitavit (1 Cor. 10, 24-27. Rom. 14, 14), a quibus vero, ratione aliorum habita, Christianis interdum abstinendum esse censuit, pertinebat etiam esus *τῶν εἰδωλοθύτων*, qui extra solennes epulas sacrificales instituebatur. Ex carnibus enim victimarum, quæ in honorem deorum fuerant immolatæ, partes quædam residuæ ad eos pertinebant, qui victimas obtulerant. Hi carnem, quæ sibi obvenerat, aut in foro vendebant (id quod ab avaris pauperibusque fieri solebat) aut cum amicis comedebant. Per decretum apostolicum Act. 15, 29 Christianis quidem injunctum erat (id quod Moses ipse a proselytis portæ quondam exegerat), ut abstinerent ab esu victimarum Diis Gentilium mactatarum; sed qui præstantiore rerum sacrarum cognitione superbiebant, hoc decretum parum curabant, statuentes, hoc nonnisi eorum causa fuisse rogatum, qui, judaicis opinionibus præconceptis irretiti, discrimen inter cibos puros & impuros etiamnum amplecterentur; has vero opiniones indignas esse hominibus Christianis. Hi igitur carnem immolaticiam, in macellis forisque venalem vel domi comedebant vel in ædibus gentilium, ad quorum convivia privata atque cum sacris nihil commercii habentia accessiti veniebant. Hoc vero gravissime offendebat inprimis eos Christianorum, qui sacris Judæorum olim addicti, una cum hisce abominari pergebant carnes Diis oblatas, quippe qui ad idolorum cultum referrent harum comestionem. Quum igitur ipsi ab esu idolothytorum diligenter abstinerent, eos, qui convivia gentilium celebrarent vel omnino carnem immolaticiam comederent, haud alienos

ab idololatria facile judicabant atque sinistras de moribus eorum sententias ferebant. Hanc obtrectationem evitari Paulus jubet, quum inutile, immo noxium omnino sit, temere in reprehensionem aliorum incurrere. Docet, rectius agi, si quis ab hac re quamvis licita se contineat usuque libertatis suæ se potius abdicet, quam ut ansam præbeat calumniis obtrectatoris (1 Cor. 10, 29. 30).

Neque hoc a Paulo silentio prætermittitur, quod propter imprudentem illam nonnullorum Christianorum temeritatem sinistris incredulorum judiciis objiceretur res christiana. Ipsis enim paganis numinum cultus hac ratione a Christianis probari videbatur errorque, quo erant imbuti, confirmari. Judæi vero ansam hinc arripiebant nomen Christianum obtrectandi & etiam magis ab eo abalienabantur [1]). Quare Apostolus 1 Cor. 10, 32 ita monet: *Ἀπρόσκοποι γίνεσθε καὶ Ἰουδαίοις καὶ Ἕλλησι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ.* Summa igitur disputationis Pauli eo redit, ut etiam quod per se liceat libeatque, sponte & ultro relinquendum sit, si aliis detrimentum afferat (1 Cor. 8, 13. cfr. Rom. 14, 21).

In hac Pauli disputatione de justo libertatis christianæ usu observatu quoque dignissimum est, quod nunquam ad ullam autoritatem externam tanquam præsidium sententiarum a se propositarum provocavit, quamvis hac potissimum occasione, ubi de idolothytis agebatur, decretum illud, quod ab Apostolis in conventu Hierosolymitano rogatum erat, præsto ei esse posset. Verum ut in refellendis iis, qui contra illud decretum disciplinam Mosaicam Ethnico-Christianis obtrudere volebant, non ad autoritatem, ne Apostolorum quidem, provocavit (§ 9), ita in iis quoque confutandis, qui in contrarium ducebantur errorem, adeo ut justos libertatis christianæ

---

1) Hoc etiam posteriori tempore factum esse, docet *Justin. M., Dial. cum Tryph.* p. 253 *ed. Col.*, ubi Tryphon: *καὶ μὴν* — ait — *πολλοὺς τῶν τὸν Ἰησοῦν λεγόντων ὁμολογεῖν καὶ λεγομένων χριστιανῶν, πυνθάνομαι ἐσθίειν τὰ εἰδωλόθυτα καὶ μηδὲν βλάπτεσθαι λέγειν.*

modos excederent, ab omnibus argumentis abstinuit, quæ animos secus sentientium erroris convincere non valerent. Facile enim perspiciebat, persuasionem erroneam animis haud exstirpari posse per externam aliquam autoritatem. Hinc illud præferebat: Ὡς φρονίμοις λέγω, κρίνατε ὑμεῖς, ὅ φημι. (1 Cor. 10, 15).

Alia plura exstant vestigia immodici libertatis usus, quo inprimis Christiani e cætu Corinthiorum cognitionem, qua gloriabantur, subtiliorem præ se ferre studebant. Huc quoque referenda esse videtur ratio mulierum, quæ contra *morem* receptum capite aperto intererant sacris christianis (1 Cor. 11, 4 sqq.)[1]) necnon munus publice docendi in sacris conventibus obibant (1 Cor. 14, 34-36). Hoc enim inde profectum esse videtur, quod liberius sentientes indicare volebant, illud discrimen, quod in diversa marium foeminarumque agendi ratione antea valuisset, jam sublatum esse. Contra hæc Paulus monuit, homini christiano in externis quoque a decoro non temere esse recedendum, maxime vero in re divina & publicis conventibus sacris semper honestati studendum, curandumque, ne suspicio offensioque oriretur.

Constat quidem, plerosque, qui in libertate christiana utenda a vero & decoro aberrarent, fuisse e numero Ethnico-Christianorum. Verum ut etiam multi, qui olim Judaica sacra amplexi erant, doctrinæ evangelicæ, qualis a Paulo tradebatur, assensum præbebant (v. c. Barnabas, Aquila & Priscilla, Apollo) adeoque jugum disciplinæ Mosaicæ excutiebant, ita ex eorum quoque numero fuisse videntur, qui notionem libertatis christianæ haud perfecte conciperent. Hos inter alia innuere videtur singulare Pauli præceptum 1 Cor. 7, 18: *Περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω· ἐν ἀκροβυστίᾳ τις ἐκλήθη, μὴ περιτεμνέσθω.* Per se quidem suspicari liceret, Paulum hoc ut exemplo usum esse, quod iis opponeret, qui se circumcidi paterentur, quum nonnisi

1) Cfr. *Neander* A. G. I. p. 310. Not. 2).

hoc probaturus esset, in civitate christiana ejusmodi res externas omnino indifferentes esse [1]); sed quum ex aliis monumentis [2]) constet, vere fuisse Judæos, qui ne vel a persecutoribus Judæi agnoscerentur vel ab ethnicis riderentur, maxime quum nudi in conspectum eorum publice prodirent publiceque in balneis lavarentur *(curti Judæi* per convitium a paganis appellari solebant), Judaismi notam tegere & abolere studerent, statuendum esse videtur, etiam inter Judæo-Christianos apostolici ævi fuisse, qui idem agerent. Hæc circumcisionis occultatio apud Judæo-Christianos aut exinde repetenda est, quod probrosam sibi circumcisionem in Christianismo futuram existimabant, *διὰ τὴν παρὰ τοῖς πολλοῖς νομιζομένην αἰσχημοσύνην ἐπι τῷ περιτεθμῆσαι (Origin.* in *Philocal* c. 1.), aut quod hoc facto declarare volebant, se omnibus judaicis rebus & ritibus nuntium remittere. His hominibus igitur notio libertatis christianæ ita concipiebatur, ut ipsa libertas, qua gloriabantur, oneri sibi esset, quum id, quod per se nullius momenti esset, tanquam grave quid considerarent.

---

1) *Episcopius, Institut. Theol. l.* 2 *c.* 10 interpretatur *ἐπισπᾶσθαι* ita, ut sit: *ita se gerere, ac si præputiatus esset.*

2) 1 *Macc.* 1, 15. *ἐποίησαν ἑαυτοῖς ἀκροβυστίαν. Jos. Antt.* 12, 5. *τὴν τῶν αἰδοίων περιτομὴν ἐπεκάλυψαν, ὡς ἂν εἶεν καὶ τὰ περὶ τὴν ἀπόδυσιν Ἕλληνες.* Judæi inter gentiles degentes, qui hoc faciebant, hanc ob causam singulari nomine appellati sunt: *σπασθῆρες, ἐπισπαστικοὶ* מְשׁוּכִים, *attractores.* Describitur quoque modus, quo hoc factum sit, apud *Epiphanium, Celsum, Galenum;* errabat igitur *Hieronymus*, qui, quum tale quid fieri posse negaret (libr. 1mo adv. Jorinin.) locum laudatum 1 Cor. 7, 18 mystice de cælibatu explicuit. Cfr. *Dissert. de Judæis præputium attrahentibus, autore Gabr. Groddeck* in *Schöttgen. Hor. hebr.* T. 1 p. 1159-1177. Docetur ibidem § XV p. 1175, ex præscriptis Rabbinorum ejusmodi מְשׁוּכִים, si rursus ad disciplinam Judæorum reverti vellent, iterum circumcidi oportere.

§ 8.

Οἱ ἀσθενεῖς.

Jam ex iis, quæ in § 7 disputavimus, elucebit, quænam in universum fuerit ratio eorum, quos Paulus in priori ad Corinthios epistola τὲς ἀσθενεῖς, τὲς ἀσθενὲντας designat. Erant homines cum ex Judæo-Christianis tum ex Ethnico-Christianis, qui, quum superstitiosas opiniones de natura & potestate idolorum non omnino exuissent, celebrationem epularum, quas gentiles, sacrificiis peractis, instituebant, immo ipsum esum idolothytorum, quæ in macellis vendebatur, ad cultum idolorum referrent, ideoque non solum ipsi ab his rebus soliicite abstinerent, verum etiam eos, qui liberius sentirent, levitatis vituperandæ accusare solerent. Ostendimus, quænam dissidia & mala inde orta sint, & quomodo Paulus iis mederi studuerit.

Sed quæ in Christianis Corinthiacis observatur anxietas de idolothytis comedendis, eadem de aliis quoque rebus, quæ per se, Paulo judice, ἀδιαφοροῖς annumeranda essent, animos aliorum quorundam Christianorum suspensos tenebat. Sic in epistola Pauli ad Romanos data ἀσθενεῖς quidam commemorantur (Rom. 14, 1. 2. 21.), qui religioni ducebant carnibus vesci, vinum bibere, dies quosdam (festos) reliquis diebus æquiparare (vv. 3-6. 21.). Plerique quidem existimarunt, hos homines fuisse Judæo-Christianos, qui præcepta levitica de cibo, potu, diebus festis violare [1]) non auderent (*Clem. Alex. Origin. Chrysost. Theodor. Hieron. Reiche. Köllner*); sed præcepta levitica minime interdicebant, ne homines carne vel vino omnino fruerentur. Alii de ascetis quibusdam, qui placitis Essenorum (*Semler. Koppe.*) vel Neo-Pythagoreorum (*Eichhorn*) addicti essent, cogitarunt; cujus hominum generis haud pauca reperiuntur exempla in monumentis illorum temporum (*Vita Joseph.* c. 2. *Senec.* ep. 108. *Orig. c. Cels.* V. c. 49. *Can. app. L. Euseb. h. e.* V. c. 3);

---

1) De idolothytis h. l. nullus omnino sermo est.

sed hi homines non tam ab aliis contemni, quam alios contemnere solebant, quum e contraria ἀσθενεῖς illi, qui a Paulo l. c. commemorantur, tanquam homines anxii & meticulosi describantur, qui facile, ne opprobriis aliorum peterentur, adduci possent, ut, repugnante quamvis conscientia ipsorum, idem, quod reliqui, sibi permitterent; id quod sedulo evitandum esse, graviter monet Apostolus (vv. 14. 15. 20. 23). Rectius igitur abstinentia illorum hominum repetenda est e sollicitudine Christianis præsertim illius ævi haud insolita, ne præcepto apostolico: τῆς σαρκὸς πρόνοιαν μὴ ποιεῖσθε εἰς ἐπιθυμίας omnino satisfieret. Quoniam vero observatio quoque "dierum quorundam" diserte commemoratur (v. 5), cogitare licet, inprimis si conferas Col. 2, 16, de Christianis, qui ascetico studio incumbentes, ad disciplinam judaicam, quippe quæ huic consilio optime inservire ipsi videretur, se componerent, adeo tamen, ut præcepta legis Mosaicæ de cibo potuque ad rigidiorem severitatem revocarent, quam quæ in lege Mosis præscripta esset. Sic demum intelligitur, cur Paulus eandem cum iis agendi rationem et ipse observarit & alios observare jusserit ac cum Corinthiis illis, qui idolothyta comedere dubitarent. Neque enim ibi cum hominibus agebatur, qui arrogantia elati pretium abstinentiæ externæ adscriberent, quod majorem Dei favorem ipsis conciliaret, sed cum hominibus religiosis, qui scrupulis conscientiæ impedirentur, quominus libertate uterentur, quam tamen assensu suo amplecti haud raro cuperent (v. 23).

Ad idem hominum genus omnes ii denique annumerandi sunt Judæo-Christiani, qui timore ducti, ne Deum offenderent, a se impetrare non possent, ut disciplinam Mosaicam omnino missam facerent, quamvis probe tenerent, nullum ex observatione ejus pretium sibi accedere. Hi quidem impedimenta objiciebant, quominus liberalior Pauli doctrina ab omnibus reciperetur; attamen non tam Paulum, qui sapienter ad mores eorum se attemperavit, (1 Cor. 9, 21) quam sec-

tatores ejus, quorum multi imprudentius justo se gerebant, improbarunt.

§ 9.

Qui, quum Christianis e gentilium numero legem Mosaicam obtrudere studerent, Paulum ejusque doctrinam vehementissimo odio persequebantur.

Sed præter imbecilliores illos Jesu sectatores, qui, quamvis liberiorem eam res religiosas considerandi rationem, qua Paulus & qui cum eo faciebant, utebantur, assequi non possent, in eo tamen acquiescebant, quod omnes omnino Christiani unum idemque salutis præsidium, gratiam nimirum Dei per Jesum Christum luculentissime manifestatam, amplecterentur, alii quidam fidem Christo habitam observationi legis Mosaicæ adeo adstringebant, ut summum instaret periculum, ne doctrina spiritualis evangelii in legislationem externam converteretur, jactura omnium eorum beneficiorum facta, quæ Jesu Christo accepta ferebantur. Hoc hominum genus Paulo, strenuo libertatis evangelicæ vindici, ubivis locorum gravissima facessebat negotia cætusque Christianos per totum ævum apostolicum vehementer conturbabat.

Ut antea illustravimus, fieri non poterat, quin aliquo tempore præterlapso cultores Christi vel judaici, quotquot spiritu evangelii vere imbuti erant, ultro eo adducerentur, ut externa pietatis exercitia, qualia in lege Mosaica erant præscripta, minoris, quam antea, æstimarent, quippe quæ maximam partem parum immediate cohærerent cum pietate animi interiore. Inde explicari potest, cur ii Apostolorum, qui et ipsi legem Mosaicam diligenter observare pergebant, v. c. Jacobus, haud obstarent, quominus gentiles fidem Christo habentes liberi declararentur a disciplina legis Mosaicæ observanda. Sed longe alia erat ratio ejus generis hominum, qui ad nomen Christi profitendum adducti erant, quanquam beneficia salutis per Christum oblatæ haud rite percipiebant. Multi enim Judæi, quibus testimonia Apostolorum aliorumque

Christianorum de miraculis & resurrectione Jesu necnon vaticinia Veteris Testamenti in Jesum applicata Messianam hujus prophetæ dignitatem probaverant, sperabant quidem, Jesum Messiana pompa stipatum haud ita multo post apparitu- rum esse ad judicium de toto genere humano habendum, ita ut præmia fidem sibi habentibus, poenas fidem sibi detrectantibus distributurus esset; sed hac sola exspectatione de Jesu Messia judice & remuneratore olim futuro fides eorum Jesu Christo habita continebatur: per hanc fidem se judicem futurum sibi propitium reddere existimabant, quum cæterum regulam, juxta quam remuneratio illa esset instituenda, ex observatione præceptorum legis Mosaicæ repeterent. Hac igitur ratione via rursus patefacta est studio illi externæ pietatis, quod per evangelium Christi prorsus sublatum esse existimandum fuerat. Nam, si rem accuratius spectaveris, ipsa fides Jesu Christo præstanda illis hominibus nonnisi loco novi cujusdam præcepti, quo legislatio Veteris Testamenti aucta esset, habebatur [1]). In hunc errorem non solum illo abripiebantur studio, cui homines vulgo indulgent, qui vel difficiliora disciplinæ asceticæ exercitia suscipere quam pravas animi cupiditates exstirpare malunt; verum specialiores quoque rationes eo tempore majorem huic studio addebant vim. Constat enim ex iis, quæ antea disputavimus, sectatores Jesu, tempore aliquo post discessum servatoris prætermisso, non tam propter fidem Messiæ cruci affixo habitam, in odium incurrisse popularium, quam propter persuasionem fidei illi affinem, favorem divinum non amplius adstrictum esse observationi legis Mosaicæ. Ubi igitur Judæi Nazaræos aspiciebant legem Mosaicam cultumque leviticum observantes, de odio suo aliquid remittebant, in ea sententia acquiescentes,

1) *Neander Kirchengesch.* 1 B. 1 A. p. 81. "Sie fassten das Christenthum selbst, es mit allem ihrem jüdischen Wahn vermischend, nur fleischlich auf, und sie machten sich aus dem Glauben an Jesus als den Messias nur eine neue Art von opus operatum, ohne Einfluss auf das innere Leben."

sectatores Jesu vanæ quidem de persona Messiæ opinioni indulgere, sed etiamnum vinculis theocratiæ judaicæ sibi junctos esse. Qui igitur e Judæorum numero nomen Jesu dabant, haud vero observationi præceptorum legis Mosaicæ renunciabant, iis non gravius illud metuendum erat Judæorum odium, cui obnoxii erant, quotquot, potestate evangelii Christi accuratius perspecta, legem Mosaicam antiquatam abrogatamque esse declarabant (cfr. Gal. 6, 12. 5, 11). Hos enim Judæi tanto persequebantur odio, ut etiam gentilium suspicionem & indignationem contra eos provocare studerent, declarantes, novam hanc Christianorum sectam, quæ missam faceret disciplinam Mosaicam, perperam illa sibi vindicare jura, quæ leges Romanæ cultoribus religionibus Mosaicæ concessissent; Christianos enim *παρὰ τὸν νόμον ἀναπείθειν τὺς ἀνθρώπυς σέβεσθαι τὸν θεόν* (Act. 18, 13 cfr. 17, 7. 24, 5. 6); eos igitur indignos esse patrocinio, quo gauderent disciplinæ Mosaicæ addicti in imperio Romano. Jam vero quum multi homines societati Christianorum se adjungerent, rationibus ducti, quæ non semper ad religionem spectabant (cfr. § 6), haud mirum est, ejusmodi præsertim homines eam elegisse rationem, qua saluti terrestri optime consulere sibi viderentur. Circumcisione igitur acriter defendenda ritibusque leviticis observandis Gentilibus se Judæos probare pergebant [1]). Quid vero? coram Judæis anceps hoc homi-

1) Cfr. *Grotium* ad Gal. 5, 3: *"Isti novi doctores multa legis non observabant, infra 6, 13, nimirum quia illud unum spectabant, ut Romani ipsos pro Judæis haberent ac sic liberos esse sinerent a legibus novas religiones vetantibus. Id enim videbant satis obtineri posse per circumcisionem."* Observandum est, Paulum quoque id egisse, ut christiana religio non ut nova aliqua religio, a Mosaica omnino aliena, consideraretur (p. 60), verum hoc discrimen inter rationem docendi Paulinam & rationem falsorum illorum doctorum intercessit, quod ille christianam religionem tanquam oeconomiam V. T. consummatam & ad perfectionem perductam tradidit, hi vero identitatem evan-

num genus gloriari poterat, se evangelio prædicando theocratiæ Mosaicæ novos sectatores colligere, ideoque laudem exspectare auxiliumque etiam a Judæis, qui evangelio Christi erant infesti. (Gal. 6, 13).

Pariter se habebat cum multis gentilibus, qui, antequam Christiana sacra amplexi sunt, religioni judaicæ fuerant addicti. Ex proselytis Judaicis ii, qui totam disciplinam Mosaicam susceperant (proselyti justitiæ) religioni Christianæ primis quidem temporibus inimicissimi esse solebant. Cujus rei causa facile inde repetenda est, quod eodem imbuti erant fanatismo sordibusque superstitionis, quibus magistri ipsorum judaici indulgebant. Ex multis enim monumentis constat, quantum operæ Judæi, inprimis e secta Pharisæorum, collocarent in proselytis conquirendis. Nam ubi homines arbitrantur, externam religionis professionem gratiam & favorem Dei mereri posse, non possunt non simul persuasum sibi habere, id studium, quo alios ad eandem professionem adducant, Deo gratissimum esse. Qui vero hoc errore ducuntur, eorum parum refert, an ii, quibus religionem suam obtrudant, hanc fide & persuasione amplectantur, necne, modo placita ejus profiteantur ritusque in ea præscriptos observent. Hinc quoque factum est, ut proselyti, quos Pharisæi mare & terram peragrantes (Math. 23, 15) conquirebant, pessimum vulgo evaderent hominum genus, qui religione judaica amplectenda ritibusque leviticis observandis conscientiam male factorum consopire, immo flagitia turpissima postea eo confidentius patrare solerent [1]. Quæ quum ita essent, non mirum erat, hoc proselytorum genus superstitione & fanatismo magistros suos, si fieri posset, superans, evangelium Christi, quod omnibus hominibus Jesum servatorem sincera fide amplectentibus, nulla omnino externæ conditionis ratione habita, salutem

---

gelii & legis adeo tuebantur, ut fides Jesu Christo præstanda reliquis præceptis legis Mosaicæ adderetur.

1) *Neander, Kirchengesch.* 1 B. 1 Abth. p. 88.

promitteret, vehementissime aversatum esse. Nam quo majori cum molestia ipsi, qui natalibus gentiles erant, a se impetraverant, ut durum disciplinæ Mosaicæ jugum susciperent, eo difficilius sibi persuaderi patiebantur, illas prærogativas, quas tanti pretii sibi comparassent, nullius esse momenti neque ullam inde sibi contingere præstantiam præ iis, qui earum essent expertes. — Verumtamen procedente tempore his quoque hominibus christiana religio ex ea parte *probata* est, qua fidem Christo habitam priori superstitioni jungere posse sibi videbantur. Offensio, quæ olim sibi & Judæis orta erat ex indigna Jesu Messiæ morte, sensim removebatur, quum, allegorica V. T. interpretatione in auxilium vocata, didicissent, passiones & mortem Messiæ jam a prophetis fuisse prædictas; huic persuasioni spes adnectebatur de reditu Jesu gloriosissimo, quo plena dignitate Messiana appariturus esset. Hac demum ratione exspectationes sensuales, quas a magistris judaicis acceperant, de regno Messiano minime interceptæ sunt, sed quæ antea expectaverant de Messia hanc in terram adventuro, jam in reditum ejus transferebant. Ut igitur iis Judæis, quorum cogitandi rationem antea descripsimus, ita his quoque proselytis fides Jesu Messiæ præstanda nova habebatur salutis obtinendæ conditio, *quæ una cum* disciplina Mosaica a Deo hominibus proposita esset. Constat præterea, ipsos legatos Jesu apostolico decreto satis diserte quidem declarasse, gentilibus fidem Jesu habentibus minime imponendum esse aliud onus (*μηδὲν πλεόν ἐπιτίθεσθαι ὑμῖν βάρος* Act. 15, 28) præter leviora illa præcepta, quæ contineantur Act. 15, 28. 29. Sed hoc decretum multis Christianis judaizantibus hanc admittere videbatur interpretationem, observationem præceptorum leviticorum non imperandam quidem esse gentilibus, qui societati Christianorum adscribi vellent, verum haud eo negari, per ipsam illam legis Mosaicæ observantiam comparari posse præstantiam quandam, cujus ii essent expertes, qui præcepta legis ritualis negligerent. Ex hac igitur parte vani doctores judaizantes

proselytis sibi addictis evangelium commendabant; quo factum est, ut hi porro eadem evangelium tradendi ratione uterentur in aliis gentilibus religione christiana instituendis 1). Quantum periculi sinceræ evangelicæ fidei hæc studia minarentur, per se patet, quum homines, quibus evangelium Christi probaretur, non possent non eo adducere, ut vetus superstitionis genus novo permutarent. Jam eo usque perventum est, ut in iis ecclesiis, quæ a Paulo ipso conditæ & ab hoc libertatis christianæ strenuo defensore ea imbutæ essent doctrina, quæ vanis illis opinionibus prorsus adversaretur, doctores judaizantes haud sine successu placita sua perniciosa spargerent. Hi homines etiam magis quam Judæi rei christianæ erant metuendi, quoniam vera falsis miscentes Christi cultoribus se commendabant tanquam apostolos evangelii, reapse vero Judaismum perniciosissimum tradebant. Verum antequam studia perditissimi hujus hominum generis votis ipsorum satisfacere possent, necesse erat subverterent autoritatem, qua Paulus inter Ethnico-Christianos vulgo pollebat, ejusque evangelium tradendi rationem suspicioni & odio Ethnico-Christianorum subjicerent. Hoc igitur diversissimis modis periclitati sunt, cujus multa continentur testimonia in libris Novi Testamenti. Gravissima vero monumenta, unde accuratius perspici possit ratio, quæ Paulo cum his adversariis intercederet, sunt epistolæ hujus apostoli ad Galatas, ad Corinthios, ad Romanos, ad Philippenses denique datæ. Perlustratis iis, quæ in his documentis de istis hominibus memoriæ prodita sunt, apparebit, eos semper eundem sibi proposuisse scopum, quanquam non ubivis eandem ingressi sint viam ad illum assequendum.

Primum igitur epistolam Pauli ad Galatas conscriptam adeamus, quippe quæ reliqua monumenta ætate superare videatur 2)

1) Cfr. quæ postea dicenda erunt de οἱ περιτεμνόμενοι Gal. 6, 13.

2) In tempore constituendo, quo epistola Pauli ad Galatas sit conscripta, iis accedimus, qui hanc epistolam Ephesi in tertio Pauli itinere exaratam esse statuunt.

multaque contineat, quæ his lucem affundant. Describitur ibi illud hominum genus hoc modo.

Circumcisionem Ethnico-Christianis imperabant (6, 12 ἀναγκάζουσιν ὑμᾶς περιτέμνεσθαι. v. 13 θέλουσι ὑμᾶς περιτέμνεσθαι cfr. 5, 2. 11. 12); circumcisos tantummodo plenam regni Messiani felicitatem consequi posse, Christianis e gentilium numero persuadere studebant (5, 6. 6, 15 ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ περιτομή τι ἰσχύει, τι ἐστὶν); Ethnico-Christianos inter Galatas jam eo adduxerant, ut festa Judæorum sedulo observarent (ἡμέρας παρατηρεῖσθε καὶ μῆνας καὶ καίρους καὶ ἐνιαυτούς [1]) 4, 10); qui e Galatarum cætu eorum præceptis morem gerebant, eos Paulus ita compellat: (ὑμεῖς) οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι 4, 21 (ὑμεῖς) οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε [2]) 5, 4. — Erant igitur illi homines Judaismi studiosiores, placita Judaica rituumque lege ceremoniali præscriptorum observationem Christianis omnibus, sive ex Judaismo sive ex paganismo ad sacra christiana transierant, strenue injungentes. — Non inepte hac occasione quæstio proponi possit, annon illi homines, qui Galatas Christianos ambiebant (4, 17), fuerint *Judæi* ad christiana sacra *non conversi*, qui sectatores Jesu e gentilium numero a religione christiana omnino abducere vellent, proselytos *religioni Mosaicæ* quærentes. Negari enim non potest, esse primo obtutu, quæ hanc suspicionem, theologis nonnullis probatam [3]), munire videantur. Nam si falsi isti doctores prospero suc-

---

1) Hæc enim vocabula de *Judaicis* festis aptissime explicantur, inprimis si conferas Col. 2, 16.

2) Vos qui jam veluti jure quodam ex opinione vestra inani possidetis τὴν δικαιοσύνην.

3) Ita *Michaëlis, Indl. til det N. T. oversat af Stauning* 3 D. § 174 p. 15 "*Jöder* var det af den nypharisæiske Sect, som Judas Galilæus havde stiftet (?). Cfr. *Schneckenburger, Ueber das Alter der jüdischen Proselyten-Taufe* p. 221. *Anm. (Beil. über die Irrlehren, welche Paulus im Br. an die Colosser bekämpft).*

cessu inter Galatas uti pergerent, fieri non posse docet Paulus, quin tota religio christiana in servitutem legis Mosaicæ abiret (5, 2); quid vero? eos Galatarum, qui placitis illorum hominum addicti essent, a Christo defecisse, Apostolus diserte declarat: κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε 5, 4. cfr. 6, 12.

Verum, ne hisce locis plus tribuatur, quam quod vero congruat, observare juvat, probe cavendum esse, ne finem & exitum, quo gavisura fuissent illorum hominum studia, si omnia ex votis ipsorum gesta essent, cum consilio ipsis proposito commisceamus. Neque enim opus erat, ut illis hominibus propositum fuisset Galatas a fide christiana abducere, quanquam studia eorum non possent non eo finire, ut et ipsi et quicunque aures iis præbuissent, toti evaderent Judæi, neglecta sincera evangelii doctrina. Quod quum Paulus prospexerit, factum est, ut descriptio, qua adumbratur ratio ex illorum hominum studiis oriunda, convenire videatur in homines a Christo ad Judaismum delapsos. Quando igitur apostolus Galatas a seductoribus corruptos ita compellat: κατηργήθητε ἀπὸ Χριστοῦ, οἵτινες ἐν νόμῳ δικαιοῦσθε, τῆς χάριτος ἐξεπέσατε, 5, 4. hisce verbis effectus describitur ejus cogitandi rationis, quam commendabant vani illi Galatarum doctores. Nam si quis salutis præsidium ex observatione legis peteret, Christum frustra profiteretur (Χριστὸς οὐδὲν ὠφελήσει v. 2); quid enim solatii afferret evangelium Christi de salute hominum in sola Dei gratia collocanda, si persuasum haberent, nonnisi observationem legis ipsos Deo probatos reddere? — Quid vero? ex his ipsis verbis Pauli apparet, sermonem non esse de defectu a Christo proprie sic dicto, adeo ut Galatæ aures doctoribus istis præbentes diserte renunciaturi essent fidei Christianæ; nam quomodo tum Paulus dicere potuisset: (ἐὰν περιτέμνησθε) Χριστὸς οὐδὲν ὠφελήσει? — *Christum Galatis non prodesse*, si, *ipso relicto*, ad sacra judaica transirent, plane superfluum fuisset monere. Omnino longe aliter cum illis hominibus Paulus

acturus fuisse videtur, si vere Judæi fuissent, Jesu Christo fidem denegantes. Neque enim tum suffecisset eos denotare tanquam "qui corrumpere sive pervertere studerent (μεταςρέψαι θέλοντες 1, 7) evangelium Christi," vel "qui perturbarent" Galatas (οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς [1]) 5, 10. οἱ ἀναςατῦντες ὑμᾶς v. 12.); neque tum argumentandi ratio, qua usus est Paulus 5, 3. 4., admodum prudenter instituta fuisset: Paulus enim ibi demonstrare studet, quicumque circumcisionem subeat, eum hoc ipso Judaismi signo obstringi toti legi Mosaicæ observandæ; quicunque vero Deo probari studeat lege observanda, eum jacturam facere bonorum, quæ per Christum parta sint, eum non amplius ex fide Christo habita salutem suam exspectare. Consectaria igitur hoc loco describit perversæ ejus rationis, quam illi doctores commendabant, sperans, ubi hæc rite perspecta fuerint a Galatis, fore, ut hi a via, quam ingredi cæpissent, deflecterent. Si vero sermo fuisset de defectu a christiana religione, de apostasia proprie sic dicta, illa argumentatio parum apta fuisset; nam tota ejus potestas in eo posita est, ut Galatæ hæc constanter tenerent, Christum esse summum salutis autorem; præsupponit Apostolus, Galatas huic persuasioni de salute per Christum obtinenda renunciare nolle; eam vero docet relinquendam esse, si salus hominum ex operibus legis pendere existimaretur.

"Sed" — objecerit aliquis — "falsi illi doctores Galatis christianis se accommodantes reverentiam in Jesum Christum simulabant, quo factum est, ut studium eorum Galatas sibi conciliandi haud describatur a Paulo tanquam studium Galatas a religione christiana avocandi, quanquam hoc proprie ipsis animo propositum erat." Verum, si hæc opinio admittenda est, necesse est statuamus, Paulo ipsi haud innotuisse hoc falsorum doctorum consilium; nam ut diximus, argumen-

1) Cfr. Act. 15, 24 decretum Apostolicum de eodem hominum genere: (οἱ ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν).

tatio Pauli in epistola ad Galatas data minime indicat, Apostolum putasse, sibi agendum esse cum adversariis, qui Galatas a religione christiana abducere vellent, verum ipsi persuasum fuisse, studia illorum hominum eo *adducere posse*, ut, fide in Christum obscurata, tota humani generis salus poneretur in observatione operum legis Mosaicæ. Licet igitur cum *Rheinwald*[1]) interrogare, qua ratione contendere audeamus, "nos ipso Paulo melius cognoscere malos istos doc-"tores, adeo ut eos jure Judæos vocemus, quum ipse Apo-"stolus hoc fieri non jubeat"? —

Verumtamen fortasse ad hoc respondebitur: "Distinctior horum adversariorum oppugnatio haud a Paulo exspectari poterat; nam conamina sua dissimulabant, autoritatem quandam Jesu tribuebant, quo melius se insinuarent ac clandestina sua consilia proveherent inter Galatas Christianos." Sed quomodo cogitari potest, illos doctores, si Jesum Christum non profiterentur, tantam potestatem inter Christianos obtinuisse, ut hosce ad circumcisionis & παραδόσεων observationem adducerent? Hoc certe neque fieri neque exspectari potuisset, nisi ipsi in Christianorum civitatem se adscribi paterentur. Sed tum demum non amplius Judæi, sed Christiani appellandi sunt, quanquam animus vere christianus iis abjudicandus est, quem præterea nemo iis tribuit[2]).

Ex iis, quæ præterea de seductoribus Christianorum in epistola Pauli ad Galatas scripta leguntur, nonnulli porro colligebant, judaizantes illos doctores fuisse *Hellenistas*, non Hebræos[3]). Paulo enim testante Gal. 6, 13, ipsi, quamvis

---

1) *De Pseudodoctoribus Colossensibus* p. 9.

2) Ipse *Michaëlis* l. c. diserte dicit, eos *prædicasse Christum*, (Da Christendommen vandt Bifald blandt Hedningerne, fandt slige Proselytmagere det fordeelagtigt at prædike Christus), id quod alium sensum non admittere potest quam: *eos Jesum fuisse Christum professos esse.*

3) Cfr. *Schott. Comm. in ep. ad Gal. Prolegg.* § 2. *Neander, die Pflanzung der chr. Kirche* 1 Th. p. 283.

placita legis Mosaicæ injungerent aliis Christianis, huic legi parum exacte morem gesserunt (*οὐδὲ γὰρ οἱ περιτεμνόμενοι αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν*). Hoc igitur nonnulli ita interpretati sunt, ac si judaizantes doctores Galatici, quippe qui extra Palæstinam versarentur, haud *potuissent* præcepta omnia legis Mosaicæ ritualis accurate observare. Provocant ad verba *Theodoreti* in h. l. *πῶς γὰρ ἔστιν αὐτοὺς φυλάξαι τὸν νόμον πόῤῥω τῶν Ἱεροσολύμων διάγοντας; πῶς ἐπιτελοῦσι τὰς ἑορτάς; πῶς τὰς θυσίας προσφέρουσι; πῶς ἀκαθάρτων ἁπτόμενοι περιῤῥαίνονται;* Sed quod haud *poterant* legis præceptis omnino satisfacere, inde non concludi potest, eos fuisse Hellenistas, quoniam eadem impedimenta, quominus disciplinæ Mosaicæ exacte morem gererent, ipsis extra Palæstinam degentibus obstitissent, si vel ex Palæstina oriundi fuissent, natalibus Hebræi. *Neander (Pflanzung der chr. Kirche* p. 283) mancam illam disciplinæ Mosaicæ observationem negligentiam existimat, cujus *Hellenistæ* quidem, verum non facile Judæi-Christiani *Palæstinenses* rei facti fuerint. Sed quod idem celeberrimus vir hoc loco *νόμον* ad ritualem legis Mosaicæ partem restringit [1]), arbitrarium esse videtur. Observandum potius est, notari hoc loco homines pessimæ indolis, quorum pietas tantummodo in externa specie collocata esset (6, 12). Quamvis legem Mosaicam aliis obtrudere vellent, hoc studium tamen non profectum erat ex vera legis reverentia, sed ex consiliis detestandis. Triplex hoc fuisse consilium dicitur: aliis externa pietatis specie placere volebant (*θέλουσι εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκί*), iram graviorem adversariorum Christi a se avertere studebant (*ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκωνται*) [2]), gloriari de-

---

1) l. c. *Anm.*: "Es versteht sich, dass wenn gleich der Begriff des *νόμος* als ein ungetheiltes das Ethische und Rituelle zusammenfasst, doch hier in der Anwendung des Begriffs nur von der rituellen Beobachtung die Rede ist."

2) Hisce verbis enuntiatio Pauli de se ipso 5, 11 optimam affundit lucem: Ἐγὼ δέ, ἀδελφοί, εἰ περιτομὴν ἔτι κηρύσσω, ἔτι τι

mique volebant prospero, si quo uterentur, successu in disciplina Mosaica Ethnico-Christianis obtrudenda (*ἵνα ἐν τῇ*

διώκομαι; ἄρα κατήργηται τὸ σκάνδαλον τȣ̃ σταυρȣ̃, cujus effati sensum recte ita interpretatus est *Schott:* "Non subiisset Paulus acerbum illud, quod vere expertus est, odium Judæorum, nisi in eo maxime offendissent, quod abrogationem legis Mosaicæ per Christum factam studiosissime urgeret. Hanc enim persuasionem sanctam ubique profitebatur, legem Mosaicam sublatam esse per mortem cruentam Christi, condonationem peccatorum divinam hominibus sub conditione certa paratam confirmantem & sancientem, veluti sacrificium expiatorium, quo alia quævis sacrificia tollerentur, Gal. 3, 13. Eph. 2, 14 sqq. Col. 2, 14 sq." Confugium igitur, quod Paulus sibi relictum esse judicavit, adeo ut evitare posset gravissimum Judæorum odium, (quod vero ipse rejecit, ne irrita fieret salus evangelii Gal. 2, 5), hoc homines illi judaizantes sibi quærebant, fidem Christo habendam ita prædicantes, ut simul injungerent observationem legis Mosaicæ. Consilium igitur, quod in circumcisione commendanda sequebantur, hoc erat, ne *doctrina Jesum Christum in cruce mortuum prædicante* afflictionibus vexarentur. Verbis laudatis 6, 12 igitur indicatur, illos homines Christum quidem prædicasse, sed, ne in offensionem adversariorum doctrinæ de Christo cruci affixo solo salutis autore incurrerent, circumcisionem simul prædicasse. — (Præter vulgarem verborum *ἵνα μὴ τῷ ςαυρῷ τȣ̃ Χριςȣ̃ διώκωνται* explicationem: "ne ipsi vexentur afflictionibus, quæ similes sint malis a Christo in cruce toleratis" (*Hieronym. Luth. Grot. Seml. Mich. Kopp. Winer*) vel: "ne ipsi vexentur calamitatibus propter Christum perferendis" (*Flatt*), *Neander* A. G. 1 p. 291 singularem proposuit interpretationem: "Diejenigen, welche äusserlicher Vorzüge (des äusserlichen Judenthums) sich rühmen wollen, zwingen euch zur Beschneidung, *nur damit sie nicht mit dem Kreuz Christi (dass heist mit der Lehre von Jesus dem Gekreuzigten als dem einzigen Grund des Heils) verfolgt werden, damit man sie nicht nöthige, diesem allein ihr Heil zu verdanken* und allem ihrem Verdienste, allem, was sie vor Andern voraus zu haben meinen, zu entsagen." Verum hæc interpretatio tamen magis subtilis, quam vera esse videtur; neque enim facile comprobare licebit, *διώκεσθαι* ea signi-

ὑμετέρᾳ σαρκὶ καυχήσωνται v. 13). Referebant igitur imaginem pessimi illius hominum generis, quos ex aliis monumentis constat eo tempore occupatos fuisse in proselytis disciplinæ Mosaicæ conquirendis (Matth. 23, 15. Joseph. Antt. 17, 3), hoc tamen discrimine, ut jam præter legem Mosaicam etiam Jesum Messiam prædicarent. Ex hac igitur descriptione non elici potest, eos fuisse Hellenistas, nam hac in re illud hominum genus semper sibi constitit, sive Palæstinenses sive Hellenistæ erant, quod legem divinam per Mosen latam in omnibus, quæ ad veram pietatem pertinebant, parum curabant (νόμον οὐκ ἐφύλασσον), si modo ea legis præcepta a se et a proselytis suis observarentur, quæ ad externa pietatis exercitia pertinerent; immo vero, etiam in iis, quæ ad disciplinam Mosaicam externam pertinebant, haud pauca sibi & proselytis remittere solebant [1]), si modo præceptum de circumcisione diligenter observaretur, quippe cui tantam tribuerent potestatem, ut homines illo ritu subeundo gratiam Dei, peccatorum condonationem, omnia denique beneficia mereri posse existimarent, quæ semini Abrahami essent promissa [2]).

Ex illo loco Gal. 6, 13 rectius elici posse videtur, vanos illos doctores judaizantes maximam partem fuisse homines, qui, quum olim fuissent Proselyti judaici, circumcisionis expertes (Proselyti portæ), inde ad sacra Christiana transiissent, nunc demum Judæis placituri circumciderentur. Paulus enim l. c. non scribit, quod exspectaveris: (οὐδὲ γὰρ)

---

ficatione dici, ut exprimat internam coactionem, qua quis ad sinceram evangelii intelligentiam adducatur).

1) Cfr. *Danz., Cura Judæorum in conquirendis Proselytis* (in *Meuschen Nov. Test. ex Talmude illustr.* p. 665): "Verum ut ad Pharisæos redeamus et indagemus causam, ob quam tantopere in faciendis proselytis occupati fuerint, *ut etiam non ubique majorum suorum traditiones, quo quidem decebat pietatis affectu & reverentia servasse videantur:* sciendum, quod fuerint genus astutum & arrogans &c."

2) Cfr. narrationem de Eleazaro & Izate in *Antiqq. Joseph.* 20, 2.

οἱ περιτετμημένοι[1] (*αὐτοὶ νόμον φυλάσσουσιν*), sed: (*οὐδὲ γὰρ*) *οἱ περιτεμνόμενοι* ɔ: *qui circumcidi se patiuntur* (nam quominus præsens pro præterito accipiatur, rationes lingvæ impediunt). Cum hac interpretatione congruunt, quæ antea (p. 112) exposuimus de ratione, quæ intercessisse existimanda est inter Judæos, qui nomen Jesu Christi profitebantur, quamvis crassiores notiones judaicas haud exuerent, eorumque proselytos. Hi eodem modo, quo sibi magistri judaici, popularibus ethnico-christianis evangelium disciplinæ Mosaicæ junctum tradebant & commendabant. Hi homines ne id quidem assecuti erant, ut vim & potestatem circumcisionis intelligerent, homines nimirum circumcisione subeunda toti legi Mosaicæ observandæ se obstringere (5, 3), sed in crassiori hac opinione acquiescebant, circumcisionem per se eo usque valere, ut, quamvis multis aliis præceptis legis & ritualis & moralis neglectis, homines tamen ejus ope gratiam divinam mereri possent.

Jam cuivis patebit, cur idem Apostolus, qui tanta cum moderatione & mansuetudine egit cum hominibus, qui ex pietate animi, quamvis male intellecta, disciplinam Mosaicam fidei evangelio Christi habitæ jungebant, tanta cum severitate in hoc hominum genus animadverterit, qui salutis præsidium ex observatione legis Mosaicæ sibi aliisque quærerent. Etenim si hæc ratio felici uteretur successu, Paulus facile intellexit, veram evangelii potestatem omnino perituram esse in cætibus Christo recens conciliatis, necnon cultum Dei quendam externum substitutum iri in locum fidei christianæ vivificæ. Eo gravius igitur hæc studia a Paulo sunt impugnata. Sed ex altera parte judaizantes illi doctores probe tenebant, Paulum ipsis gravissimum esse adversarium. Hujus igitur apostoli autoritatem subvertere omnibus modis studebant,

---

1) Hanc lectionem tamen tuentur codex Vatic. atque plures minuscc. diversarum familiarum. Apud *Lachmannum* in textum recepta est.

sperantes fore, ut, illa concussa, gravissima impedimenta removerentur, quæ etiamnum consiliis ipsorum obstarent. Nam quum reliqui Jesu Apostoli, qui potissimum inter Judæos apostolica fungebantur provincia, et ipsi legem Mosaicam observarent et alios, quominus idem sequerentur exemplum, non prohiberent, vani illi homines aut vere sibi persuasum habebant, reliquos Jesu legatos præter Paulum secum facere, aut hanc persuasionem aliis saltem suggerere studebant, quo confidentius errores suos spargerent.

Ex ea ratione, qua Paulus causam suam defendit in epistola ad Galatas conscripta, in universum perspicere licet, quid falsi doctores in his regionibus molirentur, ut de autoritate ejus detraheretur. Primum suspicionem Galatarum contra eum movere studebant, quod non fuisset e numero eorum, qui cum Christo hac in terra versati essent. Deinde Galatis persuadere volebant, doctrinam Pauli ab ea, quam cæteri Jesu Apostoli traderent, discedere. Porro suspicionem excitabant, Apostolum, ut gentilium favorem sibi conciliaret, in evangelio prædicando non semper sibi constare, adeo ut eos celaret, quæ tamen ad integram salutem obtinendam [1]) ne-

1) Gal. 1, 10. *ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν θεόν; ἢ ζητῶ ἀνθρώποις ἀρέσκειν; εἰ γὰρ ἔτι ἀνθρώποις ἤρεσκον, Χριστοῦ δοῦλος οὐκ ἂν ἤμην.* *Schrader ἀνθρώπους* de Judæis & Christianis judaizantibus explicat; sed rectius *Neander Ap.* G. I. p. 286 *Anm.* 2: "Paulus will sich gegen die Beschuldigung der Judaisten rechtfertigen, als ob er die Lehre Christi willkürlich verfälscht habe, um sie den Heiden gefällig zu machen. Das *ἄρτι* bezeichnet den Gegensaz seiner Handlungsweise als *δοῦλος Χριστοῦ* gegen sein früheres Pharisäerthum, wie er selbst diesen Gegensaz hervorhebt." Hanc criminationem adversariorum Pauli jam patres antiqui ex loco nostro eliciebant. Ita *Oecumenius*, vide *Usteri*, *Comment. über den Br. P. an die Gal.* p. 19. *Schott*, *Winer*, *Koppe*, *Matthies* in commentt. suis accuratiorem vocabuli *ἀνθρώπους* explicationem non proposuerunt, in notione universaliore subsistentes de studio hominibus placendi. Quæ vero explicatio in textu nostro proposita est, Oecumenio,

cessaria esse probe teneret. Hinc tandem Galatis probare studebant, Apostolum non sincero ipsos complecti amore, quippe qui ipse legem Mosaicam observaret, quamvis Galatas ab ea observanda dehortaretur.

Has obtrectationes Paulus in epistola ad Galatas data ita confutat. Primum ostendit, se doctrinam, quam traderet, Christo unice debere; a Christo ipso evangelium, quod hominibus prædicaret, sibi esse revelatum, haud vero ab ullo homine sibi traditum (1, 11. 12). Docet, se, postquam atrox olim fuisset judaicæ disciplinæ vindex (vv. 13. 14), hoc studio abjecto, quum ipsi a Deo demandatum esset, ut evangelium Christi inter gentiles promulgaret (v. 16), neque Hierosolymas ad eos, qui ante se legati Jesu fuissent, profectum esse, neque ante triennium elapsum Apostolorum quemquam convenisse (v. 17-21); etiam tum se nihil ab iis institutionis accepisse, immo vero, ne notum quidem de facie fuisse Christianis in Judæa versantibus (v. 21-24). Tandem quatuordecim annis elapsis, Hierosolymas profectum, doctrinam, quam inter gentes tradere soleret, iis apostolis, qui autoritate maxime conspicui essent, se exposuisse eorumque suffragia ta reportasse, ut nihil ei addendum esse censerent (οὐδὲν προςανέθεντο cfr. Act. 15, 28 μηδέν πλέον ἐπιτίθεσθαι)

Neandro, Usteri, aliis probata, ei egregiam lucem affundere mihi videntur duo loci in Act. App. cap. 20; nam ibi vv. 20 & 27 vestigia reperiuntur haud obscura ejusdem suspicionis, quam Paulus Gal. 1, 10 repellit. Apostolus enim verba faciens ad presbyteros Ephesinos solenniter testatur: ὡς ὀυδὲν ὑπεςειλάμην τῶν συμφερόντων, τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν καὶ διδάξαι ὑμᾶς; cfr. v. 27 οὐ γαρ ὑπεςειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ. Non inepte statui posse videtur, Paulum iis ipsis, quæ de obtrectationibus doctorum falsorum Galaticorum & Corinthiorum cognovisset, commonefactum, solenni illa declaratione prohibere voluisse, ne falsi doctores, quorum adventum ad Ephesinam ecclesiam jam prævidit (20, 29), hac suspicione nutrienda etiam Ephesiorum animos a se abalienarent. — (Cfr. præterea Gal. 2, 6 οὐδέν προςανέθεντο).

ipsumque Paulum verum Jesu legatum agnoscerent, gentilibus inprimis edocendis & convertendis divinitus destinatum (2, 1-10). Quantum abesset, ut autoritate cederet ulli apostolorum Jesu, exinde intelligi posse, quod in eadem re, de qua cum judaistis inpræsentiarum ageretur, Petrus ipse olim a se palam notatus hanc Pauli vituperationem justam agnovisset (2, 11 sqq.). Quod vero ad criminationem attineret adulationis, qua Paulus gentilibus æquius justo se accommodasset, sortem afflictam, qua uteretur, satis probare, quam parum favor hominum sibi curæ cordique esset; alioquin enim religionis christianæ causa commodis terrestribus non renunciasset (1, 10). Tandem ostendit, non esse, quod haud summam quamvis felicitatem apprecaretur Galatis, qui et ipsi luculentissima edidissent tenerrimi in ipsum amoris testimonia 4, 14-17. Se nunquam aliud evangelium tradidisse quam quod jam accepissent de Christo cruci affixo 1, 8. 9. Eam demum esse causam, cur etiamnum semper gravissime vexaretur 5, 11. Cohortatur tandem Galatas, ut se imitentur, nam is legem Mosaicam repudiavit atque ita quasi in paganorum partes transiit (ζῶ ἐθνικῶς ὡς ὑμεῖς 2, 14 4, 12).

Præter hanc argumentationem, quæ proprie ad criminationes in personam & autoritatem apostolicam Pauli conjectas refellendas pertinebat, in hac epistola etiam id egit Apostolus, ut omnino rationem illustraret disciplinam Mosaicam inter & religionem christianam; quæ tamen, quum a re nostra magis aliena sint, hoc loco prætermittimus.

Verisimile est, Paulum non sine fructu studia illorum judaizantium doctorum tam fortiter impugnasse, quamvis errores eorum jam altiores egissent radices quam ut subito exstirpari possent. Contigit Apostolo Ephesi circiter triennium (Act. 19, 8. 9. cfr. 20, 21) evangelium purum & sincerum ita tradere, ut non solum urbs Ephesiorum, verum tota Asia vicina (Asia proconsularis) salutari ejus institutione frueretur,

(Act. 19, 10), quo factum est, ut vani illi doctores capita in his regionibus tollere non auderent; sed post discessum ejus altiores spiritus ducere cæperunt, erroribus forma paullulum immutata indutis, de quibus postea plura dicenda erunt. — Verum eodem tempore, quo Paulus Ephesi commorans studia perversorum illorum doctorum in Asia tam graviter impugnabat, etiam in Europa idem hominum genus cætus per Paulum Christo adductos corrumpere studebat.

Antequam Paulus Epheso discessit, certior factus est de dissidiis, quibus ecclesia a se Corinthi condita agitaretur (1 Cor. 1, 10 sqq.). Hæ dissensiones non ex una quidem causa erant repetendæ, verum gravissima tamen ea nitebatur exacerbatione, qua sectatores doctrinæ Paulinæ & Christiani judaizantes mutuo se infestabant. Postquam enim Paulus fundamentum hujus ecclesiæ constituerat, alii doctores Corinthios adierunt, qui non omnes eandem, quam Paulus, sequebantur evangelium tradendi rationem. Primum Apollo, Judæus genere Alexandrinus (de quo v. p. 54) ad religionem christianam conversus, vir disertus & in sacris literis probe versatus (ἀνὴρ λόγιος, δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς Act. 18, 24) Corinthum venerat, evangelium Christi nuncians (Act. 18, 24-19, 1. 1 Cor. 3, 6). Magnum favorem inter Corinthios sibi conciliavit ob eximiam, qua pollebat, eruditionem & eloquentiam, adeo ut multi eum Paulo anteferrent, qui elegantia lingvæ & dicendi virtute superabatur ab Apolline. Qui cum Apolline faciebant, nomine illius se insignientes, ab iis, qui Paulum colebant et ex hoc apostolo appellari volebant, se separaverant, in eo tamen cum Paulinis consentientes, quod utrique legem Mosaicam ritusque judaicos prorsus abjiciebant, libertatis vero christianæ haud semper justum instituebant usum. Alii præterea doctores judaizantes post Pauli digressum Corinthum accesserant, qui etiam magnam sibi in hac urbe comparabant factionem. Sectatores eorum in diversas iterum partes se scindebant: altera Petri, altera ipsius Christi nomine se honestabat (1 Cor. 1, 12). Inter

Pauli & Apollinis doctrinam nulla discrepantia intercedebat, quum Paulus ipse Apollinem sibi conjunctissimum & genuinum evangelii doctorem prædicet (1 Cor. 3, 4-6); verum qui Apollini adhærebant, magistrum suum propter eximiam, qua excellebat, dicendi facultatem, Paulo, oratori minus facundo anteponebant eoque Pauli amicos offendebant. Apollo ipse horum dissidiorum fortasse pertæsus (1 Cor. 16, 12) Corintho discesserat et cum Paulo eo tempore Ephesi familiariter versabatur, quo Apostolus priorem, quæ vulgo dicitur, epistolam ad Corinthios conscripsit. Longe alia erat ratio, quæ Paulo cum doctoribus judaizantibus intercedebat. Erudite & subtiliter nostro imprimis ævo disputatum est de factionibus, quæ *Petri* (ἐγὼ δε Κηφᾶ 1 Cor. 1, 12. cfr. v. 3, 22) & ipsius *Christi* (ἐγὼ δὲ Χριϛȣ̃ 1 Cor. 1, 12) nominibus superbientes Apostolo nostro Corinthi adversabantur. Ne vero, quæ jam alibi [1]) accurate disputata sunt, temere repetamus, disputatione de discrimine inter τȣ̀ς τȣ̃ Κηφᾶ & τȣ̀ς τȣ̃ Χριϛȣ̃ in medio relicta, hoc loco in universaliori illorum hominum adumbratione exhibenda subsistere juvat, qui Corinthi autores fuerant factionum Paulo infensarum, quum, qualiscunque demum ipsis intercedebat mutua ratio, autores earum eodem loco Paulo haberentur, adeo ut non dubitari possit, fuisse hos homines ejusdem generis, quocum ipsi inter Galatas esset agendum, quanquam eorum causa, quos Corinthi ad suas partes trahere studerent, non omnino eandem viam ad scopum propositum assequendum ingrederentur.

Erant civitati christianæ adscripti; nam ubi Paulus prærogativas, quibus gloriabantur, recenset, inter eas hanc

1) *Heydenreich*, *Comment. in pr. ap. P. ad Cor.* 1825. *Hemsen*, *der Apostel Paulus* 1830. p. 254 sqq. *Schott*, Isagoge in libros N. T. 1830 p. 232 sq. *Baur*, *Ueber die Christusparthei in der Cor. Gem.*, *Tüb. Zeitschr.* 1831, 4tes *H. Billroth*, *Comment. zu den Br. des P. an d. Cor.* 1833. *Rückert*, *Der erste Br. P. an d. Cor.* 1836.

quoque enumerat: διάκονοι Χριςȣ̃ εἰσι; (2 Cor. 11, 23), additque (non sine excusatione hujus ostentationis, quam adversarii ipsi extorquebant, παραφρονῶν λαλῶ): ὑπὲρ ἐγώ. Jam calamitates & vexationes enumerat, quas religionis christianæ causa subierat, ut eluceat, quo jure illud de se prædicare possit. Inest igitur verbis apostoli, adversarios quoque religioni christianæ ministrasse, quamvis se hac in re longe præstantiora documenta studii religionis edidisse simul profiteatur. Quid vero? Præcipuo quodam jure, quod ad Paulum non pertineret, se *Christi esse* gloriabantur (2 Cor. 10, 7 εἴ τις πέποιθεν ἑαυτῷ Χριςȣ̃ εἶναι, τοῦτο λογιζέσθω πάλιν ἀφ ἑαυτȣ̃, ὅτι καθὼς αὐτὸς Χριςȣ̃, οὕτω και ἡμεῖς) 1)

1) Hic locus imprimis ab iis urgetur, qui discrimen constituunt inter τὸς τȣ̃ Κηφᾶ & τὸς τȣ̃ Χριςȣ̃, ut probent, verba 1 Cor. 1, 12 ἐγὼ δὲ τȣ̃ Χριςȣ̃ referenda esse ad singularem quandam factionem, quæ Christi nomine se præ aliis insigniret (cfr. *Billroth* p. XXV). Verum quamvis concedam, rationes idoneas afferri posse, quibus probetur, fuisse Corinthi singularem quandam factionem, quæ illum titulum sibi imponeret, locus citatus (2 Cor. 10, 7) tamen per se solum existentiam talis factionis haud comprobare posse videtur, quoniam Paulus hoc loco de superbia & gloriatione adversariorum Corinthiorum judaizantium in universum disputat. Ubi vero cel. *Neander* (A. G. p. 301) notionem hujus factionis ita constituit, ut homines comprehendat philosophica quadam institutione excultos, qui, repudiata autoritate traditionis apostolicæ, christianam quandam doctrinam — ex ipsorum opinione — puriorem, placitis suis philosophicis congruentem tradere studerent ideoque titulum τῶν τȣ̃ Χριςȣ̃ præ aliis sibi tribuerent: verba, quæ l. l. proxime antecedunt, prohibent, quo minus ei accedamus. Nam si res ita se haberet, quomodo tum Apostolus eodem loco vituperationem in Corinthios illius factionis causa conjectam ab his verbis incipere potuisset: Τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε. (;) εἴ τις πέποιθεν κ. τ. λ. His enim verbis inest, Corinthios propterea procliviores esse ad honorem, quem illi homines sibi arrogarent, agnoscendum, quod hi *externa* quadam specie ipsos de justa judicandi facultate deturbassent; (nisi cum *Billroth*

Hanc autem prærogativam sibi tribuebant ob externas rationes, quæ vel ad judaicam religionem vel ad evangelium Christi spectabant. Gloriabantur enim non solum, quod natalibus essent Hebræi, Israëlitæ, posteri Abrahami (2 Cor. 11, 21. 22), adeo ut Paulum cogerent diserte præ se ferre, has prærogativas, si quæ essent, sibi quoque competere, ne videretur invidia ductus de pretio earum detrahere (cfr. Phil. 3, 5. Rom. 11, 1); verum etiam, quod magistris usi essent apostolis, qui cum ipso Christo hac in terra versati essent, vel saltem quod rationem horum apostolorum evangelium tradendi sequerentur, quippe qui observationem legis Mosaicæ una cum fide Christo habita retinuissent[1]) (1 Cor. 1, 12. 2 Cor. 10, 7). Quemadmodum igitur illi pseudodoctores Galatici ἤθελον εὐπροσωπῆσαι ἐν σαρκὶ (Gal. 6, 11), ita hi quoque a Paulo describuntur ἐν προσώπῳ καυχώμενοι (2 Cor. 5, 12), καυχώμενοι κατὰ τὴν σάρκα (2 Cor. 11, 18). Quemadmodum illis Apostoli Judæorum, (Petrus, Jacobus) præcipuo habebantur honore (Gal. 2, 2. 6. 7. 11), ita his quoque Petrus imprimis coryphæus laudabatur (1 Cor. 1, 12). Quum epistolas quasdam commendatorias ex Palæstina fortasse missas circumferrent (2 Cor. 3, 1), eo majore cum confidentia agebant, adeo ut etiam doctores illos Galaticos arrogantia superasse videantur (1 Cor. 4, 18-21. 2 Cor. 5, 12. 10, 8. 12. 11, 16. 30. 12, 1. præter alios locos, ubi Paulus veniam sibi quoque expetit de virtutibus suis gloriandi, ne omnino vanis illis doctoribus inferior existimetur). Ob hanc quoque arrogantiam Paulus proclivitatem Corinthiorum ad hos homines magni æstimandos simul carpens ironice eos appellat τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους (2 Cor. 11, 5. 12, 11)[2]).

---

l. c. p. 351 & *Bretschneider*, *Lexic. Man.* *Προσωπ.* *Τά κ. π. β.* roddas: Betrachtet das, was Euch vor Augen liegt! cui tamen explicationi usus loquendi scriptorum N. T. obstare videtur).

1) Cfr. tamen, quæ disputavimus § 3.

2) Hanc quidem denominationem alii serio accipiendam esse de

Huic superbiæ arcte conjuncti erant abusus, quos sibi permittebant, ejus autoritatis, qua inter Corinthio fruebantur: in ecclesiam dominari ejusque membra contumeliose tractare haud dubitabant (2 Cor. 11, 20). Speciem quidem innocentiæ præ se ferebant, adeo ut nullam mercedem vel præmium operæ suæ in institutione Corinthiorum collocatæ accipere videri vellent (2 Cor. 11, 11. 12); verum reapse quæstum turpem sibi faciebant ex Corinthiis sibi deditis (2 Cor. 11, 20 ἀνέχεσθε γάρ, εἴ τις ὑμᾶς καταδουλοῖ, εἴ τις κατεσθίει, εἴ τις λαμβάνει, εἴ τις ἐπαίρεται, εἴ τις ὑμᾶς εἰς πρόσωπον δέρει). Hinc quoque explicari possunt acerbe illa dicta, quibus Paulus hos doctores castigat: Ψευδαπόστολους eos appellat, ἐργάτας δόλιους, μετασχηματιζόμενους εἰς ἀποστόλους

---

ipsis apostolis Jesu, Petro inprimis & Jacobo, quorum autoritas Paulinam longe superans coram Corinthiis celebraretur a falsis doctoribus, existimant. Verum, ne dicam, hanc appellationem ironiam aperte præ se ferre, quæ offenderet, si vere ageretur de apostolis Jesu, nexus orationis impedire videtur, quominus de hisce cogitetur. Priorem enim locum hæc verba mox excipiunt: εἰ δὲ καὶ ἰδιώτης τῷ λόγῳ, οὐ τῇ γνώσει. Num vero suo jure Paulus profiteri posset, se eloquentia & dicendi facultate inferiorem esse reliquis Jesu apostolis? Hæc modestia nonnisi fucata esset. Rectius statuitur, judaizantes doctores, quum viderent Apollinem suæ & Paulinæ doctrinæ liberaliori sectatores haud paucos conciliasse per eloquentiam & dicendi facultatem, quæ Græcis semper maximi haberetur, id quoque egisse, ut orationibus gustui Corinthiorum attemperatis favorem & fiduciam horum sibi pararent. Posteriori loco (2 Cor. 12, 11 sq.) fortasse urgere licebit τοῦ ἀποστόλου, ut significare dici possit: *apostoli veri, apostoli vere hoc nomine digni* (den sande Apostels); quodsi concederetur, oppositio apta quærenda esset inter ipsum (Paulum) vere apostolum & apostolos illos temere celebratos (τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους), qui non edidissent idonea documenta legationis suæ divinæ, (τὰ μὲν σημεῖα τοῦ ἀποστόλου κατειργάσθη ἐν ὑμῖν ἐν πάσῃ ὑπομονῇ, ἐν σημείοις καὶ τέρασι καὶ δυνάμεσι), id quod certe dicere non liceret de veris Jesu legatis.

Χριςῦ — διάκονες Σατανᾶ (2 Cor. 11, 14), ὧν τὸ τέλος ἔσται κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν (v. 15) cfr. Gal. 5, 10.

Referebant igitur hi homines eandem imaginem, quam Paulus exhibuit seductorum Galaticorum. Verum pseudo-doctores Corinthii a Galaticis tamen eo discessisse videntur, quod ingeniis græcis, quæ facile offendere possent, si nimis prærupte totum Mosaismum iis obtrudere voluissent, se magis accommodarent. Itaque Corinthi non tam palam quam *inter* Galatas necessitatem circumcisionis omnibus Christianis subeundæ prædicabant, quanquam præceptum Pauli 1 Cor. 7, 18 (ἐν ἀκροβυςίᾳ τις ἐκλήθη, μὴ περιτεμνέσθω) indicare videtur, hoc studium minime ab iis fuisse alienum. Etiam discrimen leviticum inter cibos puros & impuros observari quidem jubebant (1 Cor. 8, 8), verum in universum, quantum ex epistolis Pauli cognosci potest, non tam disciplinam judaicam Corinthiis aperte obtrudere studebant, quam viam sibi ad hunc scopum assequendum parare volebant confringenda autoritate ejus apostoli, qui gravissima omnium objiceret impedimenta, quominus ab Ethnico-Christianis admitteretur externus ille religionis cultus, ex quo propagando judaici proselytorum venatores cum terrestria tum cælestia præmia sibi exspectarent. Autoritate enim Pauli concussa omnia e sententia sibi successura esse, certo sperabant: in hunc igitur omnes impetus dirigebant, hunc amore & reverentia Corinthiorum omnibus modis privare studebant, in hunc denique criminationes vel maxime absurdas conjicere non dubitabant.

Ut inter Galatas ita inter Corinthios suspicionem spargere studebant, Paulum non sinceram evangelii doctrinam tradere. Gravissimum argumentum huic criminationi opponendum ex ipsa persuasione & conscientia Corinthiorum, qui per se ad fidem Christianam adducti essent, apostolus repetiit. Ut olim Galatas interrogavit, num observationi legis Mosaicæ an doctrinæ a se traditæ beneficium Christianis proprium, τὸ πνεῦμα, acceptum ferrent (Gal. 3, 2), ita Corinthiis hanc quæstionem proponit: *Τί ἐστιν, ὅ ἡττήθητε*

ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας; (2 Cor. 12, 13 cfr. 1 Cor. capp. 12. 14). Cum confidentia asserere potuit: ἐν παντὶ περισσεύετε, πίστει καὶ λόγῳ καὶ γνώσει, 2 Cor. 8, 7. Deo omniscio patebat integritas Apostoli in hominibus edocendis 2 Cor. 5, 11. Turpitudinem clandestinam aversatus sperare potuit, conscientiam non solum Corinthiorum, sed omnium hominum studia sua approbaturam esse, quum nonnisi veritate patefacienda judicio hominum se commendaret (2 Cor. 4, 2). Etiam externa documenta legationi ipsius divinæ Deus deesse noluerat, quum prodigia & potenter facta Paulus edidisset (2 Cor. 12, 12 cfr. 1 Cor. 2, 4), quæ probarent, doctrinam suam non ab hominibus, sed a Deo esse profectam.

Ut Galatis (p. 123) ita Corinthiis persuadere studebant falsi doctores, Paulum eos non vero amore amplecti, cujus rei testimonium pseudodoctores Corinthiaci exinde promere non verebantur, quod Apostolus mercedem institutionis suæ a Corinthiis accipere noluisset, quum tamen justa causa, cur hanc repudiasset, inde esset quærenda, ne in criminationem incideret, se lucri causa munus doctoris obiisse, præsertim quum doctores judaizantes ex tali innocentia materiem gloriandi sibi quærerent (Ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα — — — ὅτι δωρεὰν τὸ τοῦ θεοῦ εὐαγγέλιον εὐηγγελισάμην ὑμῖν; — — — Διατί; ὅτι οὐκ ἀγαπῶ ὑμᾶς; Ὁ θεὸς οἶδεν. Ὃ δὲ ποιῶ, καὶ ποιήσω, ἵνα ἐκκόψω τὴν ἀφορμὴν τῶν θελόντων ἀφορμήν, ἵνα ἐν ᾧ καυχῶνται, εὑρεθῶσι καθὼς καὶ ἡμεῖς 2 Cor. 11, 7-12. cfr. 1 Cor. 9, 6 sqq.). Nihilo tamen minus eosdem homines, qui et ipsi cum Corinthiis dolose & fraudulenter agerent (2 Cor. 11, 19. 2, 17), non pudebat suspicionem movere, ac si Paulus, quamvis ipse Corinthiis molestus non fuisset, per legatos tamen & comites suos opes dolosa fraude collegisset (ἔστω δέ. ἐγὼ οὐ κατεβάρησα ὑμᾶς· ἀλλ' ὑπάρχων πανοῦργος, δόλῳ ὑμᾶς ἔλαβον. Μή τινα ὧν ἀπέσταλκα πρὸς ὑμᾶς, δι' αὐτοῦ ἐπλεονέκτησα ὑμᾶς; Παρεκάλεσα Τίτον, καὶ συναπέστειλα τὸν ἀδελφόν·

μήτι ἐπλεονέκτησεν ὑμᾶς Τίτος; κ. τ. λ. 2 Cor. 12, 16-18 cfr. 7, 2). Hanc suspicionem Apostolus evitare studebat summa illa circumspectione adhibenda, qua usus est in stipibus colligendis (1 Cor. 16, 3. 2 Cor. 8, 18. 22).

Inconstantiæ porro Apostolum accusabant, cujus rei testimonium avide quærebant e promissione Pauli, cui haud satisfecisset, de Corinthiis post discessum ex Epheso continuo adeundis. Propositum enim ipsi fuerat, quantum ex 2 Cor. 1, 15 conjicere possumus, Epheso relicta Corinthum adire & inde Macedoniam petere, unde rursus Corinthum rediturus esset. Hoc consilium apostolus sine dubio indicaverat in epistola ad Corinthios data, quæ temporis injuria perdita est (1 Cor. 5, 9); (nam in priori, quæ nobis asservata est, epistola ad Corinthios Paulus diserte declarat, se per Macedoniam prius esse profecturum, quam Corinthum adeat, 1 Cor. 16, 5. 6). Postea vero Paulus consilium hujus itineris ita mutavit, ut prius Macedoniam peragraret, quam Corinthum veniret (Act. 20, 1). Nam quum certior factus esset de perturbata ecclesiæ Corinthiacæ conditione, Corinthios non antea adire decrevit, quam per literas eos ad meliorem frugem reducere conatus esset, ne præsentia sua minus grata foret ob increpationes, quibus non carpere non posset præposteram multorum Corinthiorum agendi rationem (2 Cor. 1, 23-24). Suo jure igitur Apostolus 2 Cor. 1, 17 quærere potuit: *Τοῦτο οὖν βουλευόμενος, μήτι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην;* ("Num igitur, quum hoc vellem, *illa* inconstantia, quam mihi attribuitis, usus sum?" *Billroth*). Verum si etiam concederet, se hac in re (ob justas quidem causas) haud sibi constitisse, inde non concludi posse docuit, se in evangelio tradendo non semper unam eandemque veritatem annuntiasse [1]); hujus enim rei documentum luculentissimum con-

---

1) *Ἐν γὰρ τῷ κηρύγματί, φησι, τοῦτο οὐκ ἐγένετο, ἀλλ' ἐν ταῖς ὁδοῖς καὶ ταῖς ἀποδημίαις μόνον· ἐν δὲ τῷ κηρύγματι μένει βέβαια καὶ ἀκίνητα ἅπερ εἰρήκαμεν.* *Chrysostom.* ad h. l.

tineri ipso doctrinæ suæ argumento atque interno testimonio Spiritus Sancti, qui veluti sigillo obsignasset divinam ejus autoritatem (2 Cor. 1, 18-22). Si vero hæc inconstantiæ criminatio eo niteretur, quod Paulus passim legem Mosaicam observaret, passim negligeret, sciendum esse, hoc ideo fieri, quod pretium religiosum cerimoniarum & rituum leviticorum unice ex ea ratione æstimandum esse censeret, qua salutari religionis christianæ consilio inservirent (1 Cor. 9, 20. 21). Quicunque enim cum Paulo observationem legis Mosaicæ inter adiaphora habebat, & usum & intermissionem illius diversis temporibus sibi permittere poterat, dummodo in hoc sibi constaret, quod illas res per se spectatas nullius esse momenti ingenue fateretur.

Adversarii Pauli Corinthiaci tandem id agebant, ut Paulum describerent hominem levem & timidum, qui absens quidem per literas metum injicere studeret, præsens vero imbecillem & humilem se gereret (ὅτι αἱ μὲν ἐπιςολαὶ, φησὶ, βαρεῖαι, καὶ ἰσχυραί· ἡ δὲ παρȣσία τȣ̃ σώματος ἀσθενὴς, καὶ ὁ λόγος ἐξȣθενημένος 2 Cor. 10, 10. cfr. v. 2 ὃς κατὰ πρόςωπον μὲν ταπεινὸς ἐν ὑμῖν, ἀπὼν δὲ θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς [ex mente adversariorum], cfr. 1 Cor. 4, 18 ὡς μὴ ἐρχομένȣ δέ μȣ πρὸς ὑμᾶς, ἐφυσιώθησαν τινες). Paulus ad hoc respondit jubendo eos perpendere, qualis absens fuisset literis scribendis, talem præsentem ipso facto fore (v. 11) (nam certissime affirmat, se, quando per Deum licuerit, citissime Corinthios esse aditurum 1 Cor. 4, 19-21. 16, 6. 2 Cor. 13, 1) rogandoque, ne se cogerent præsentem ea uti severitatis confidentia, qua adversus nonnullos uti decrevisset (2 Cor. 10, 2) [1]). Docet, arma, quæ sibi præsto sint, non humanæ

1) δέομαι δὲ, τὸ μὴ παρὼν θαῤῥῆσαι τῇ πεποιθήσει, ᾗ λογίζομαι τολμῆσαι ἐπί τινας τȣ̀ς λογιζομένȣς ἡμᾶς ὡς κατὰ σάρκα περιπατȣ̃ντας. Optime *Billroth:* "Die letztern Worte bedeuten: sie betrachten mich als einen solchen, der in seinem Berufe seine Person vor Augen hat, der alles aus eigener Machtvollkommenheit zu thun glaubt. Bei einem solchen Menschen erscheint

manæ esse imbecillitatis, sed divinæ potestatis (10, 2-5), autoritatem nimirum Apostoli Christi, qui studio religionis impletus omnia unice ad celebrandam hujus dignitatem referat. Paratum se esse omnem contumaciam ulcisci, ubi obsequium a Corinthiis plerisque exacte præstitum sit (ἐν ἑτοίμῳ ἔχοντες ἐκδικῆσαι πᾶσαν παρακοὴν, ὅταν πληρωθῇ ὑμῶν ἡ ὑπακοὴ 1 Cor. 10, 6) [nolebat enim — ut antea 2 Cor. 2, 1 dixit — Corinthum prius adire, quam *plerique* ad meliorem frugem rediissent, ne gravioris tristitiæ autor esset, Corinthi appariturus ἐν ῥάβδῳ, οὐκ ἐν ἀγάπῃ πνεύματί τε πρᾳότητος; 1 Cor. 4, 21]. Affirmat etiam Cap. 13tio, se Corinthios iterum aditurum haud facilem fore pertinaciter peccantibus, siquidem tam enixe documentum flagitarint autoritatis ejus apostolicæ, v. 3. Pulcherrimum tandem hunc finem epistolæ suæ imponit: "Deum rogo, ne cogar vos punire; malim equidem, auctoritatem meam non comprobari, quam vos peccare, ut opus sit documentum legationis meæ divinæ puniendo edere. Lætor enim, si nullo meo jure uti debeo, vos autem recti exempli christiani estis. Idcirco hæc absens scripsi, ne præsens durum me geram pro potestate, quam mihi Dominus concessit" (v. 7-10).

Ex his omnibus intelligitur, doctores judaizantes majori etiam cum fastu quam inter Galatas se Corinthi gessisse, quum factiones ipsis hac in urbe addictæ autoritatem eorum augerent; verum vehementius quoque iis resistebatur, quum alii Christiani factiones constituerent, iis omnino contrarias, discipuli scilicet Pauli atque Apollinis. Ex multis quoque indiciis suspicari licet, judaizantium factiones numero et autoritate Paulinis fuisse inferiores (2 Cor. 2, 6. 7, 7 sqq. vv. 12. 13. capp. 8. 9.), id quod etiam in hac ecclesia, quæ

---

es allerdings thöricht, wenn er Strenge üben will; er vertraut nur auf eigene Kräfte und ist leicht zu bekämpfen. Paulus dagegen steht nicht für sich da, sondern als Apostel des Herren."

maximam partem Ethnico-Christianis constaret, exspectandum erat (cfr. Act. 18, 17).

Ad studia doctorum judaizantium cognoscenda restant tandem duo monumenta consulenda, quorum altera est epistola Pauli ad Romanos, altera epistola ad Philippenses data. In priori epistola locus quidam reperitur, ubi Paulus jubet Christianos *σκοπεῖν τὰς τὰς διχοςασίας καὶ τὰ σκάνδαλα, παρὰ τὴν διδαχὴν, ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε, ποιῦντας· καὶ ἐκκλίνατε ἀπ αὐτῶν. Οἱ γὰρ τοιῦτοι τῷ κυρίῳ ἡμῶν Χριςῷ οὐ δουλεύυσιν, ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ· καὶ διὰ τῆς χρηςολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων* (Rom. 16, 17. 18). Hæc quidem universalius dicta sunt, quam ut inde certo constitui posse videatur [1]), quodnam hominum genus Apostolo hæc scribenti ante oculos obversatum sit. Huic vero loco similitudo quædam intercedit cum cap. III, 18. 19 epist. ad Philipp. *πολλοὶ γὰρ περιπατῦσιν, οὓς πολλάκις ἔλεγον ὑμῖν, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω, τὺς ἐχθρὺς τῦ ςαυρῦ τῦ Χριςῦ· ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονῦντες.* Quanquam hoc quoque loco omnia tam generaliter dicta sunt, ut primo obtutu hæc descriptio in varios homines indole perversa moribusque corruptis convenire posse videatur, nexus tamen disputationis a Paulo in illo loco institutæ lectores epistolæ cogitare jubet de iisdem doctoribus, qui perstringantur in epistolis ad Galatas & ad Corinthios conscriptis. Initio enim capitis laudati Paulus, ubi diserte declaravit, se transiturum esse ad rem tractandam, de quo jam antea (præsens) [2]) monuerit Philippen-

---

1) *de Wette in Comm.* (1835) *in h. l.* "Es ist durchaus unklar, welche Menschen der Ap. meint. Warsch. Judenchristen." Ita etiam *Köllner Comment.* 1834.

2) *τὰ αὐτὰ γράφειν ὑμῖν, ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρὸν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές.* De

ses, sed de qua tamen haud superfluum judicet eos rursus monere (3, 1), admonitiones suas ab his verbis exorditur: *Βλέπετε τὲς κύνας, βλέπετε τὲς κακὲς ἐργάτας, βλέπετε τὴν κατατομήν* (3, 2). Quemadmodum hæc verba in memoriam revocant increpationes illas, quibus Paulus notat *τὲς ψευδαπόςολες, ἐργάτας δόλιες* (2 Cor. 11, 13), *τὲς καπηλέυοντας τὸν λόγον τε̃ θεε̃* (2 Cor. 2, 17), qui Corinthi versabantur, necnon acerbam ironiam, qua seductores Galaticos castigat: *ὄφελον καὶ ἀποκόψονται οἱ ἀναςατε̃ντες ὑμᾶς*[1]) (Gal. 5, 12), ita uberior, quæ sequitur descriptio eorum hominum, a quibus sibi cavere jubentur Philippenses, omnino in idem seductorum genus optime convenit. Ut illi pseudodoctores Galatici & Corinthiaci, ita hi describuntur *καυχώμενοι ἐν σαρκὶ, πεποίθοτες ἐν σαρκί* (Phil. 3, 3. 4. cfr. Gal. 6, 11. 2 Cor. 5, 12. 11, 18. 10, 7); ut illi, ita hi externis gloriabantur prærogativis, quibus Judæi plurimum tribuebant pretii (Phil. 3, 4. 5. 6.); ut illi, ita hi Paulum quamvis invitum declarare cogebant, sibi quoque licere de ejusmodi prærogativis externis gloriari, ne forte invidia ductus Ethnico-Christianis videretur de pretio illarum detrahere. (*Εἴ τις δοκεῖ ἄλλος πεποιθέναι ἐν σαρκὶ, ἐγὼ μᾶλλον· περιτομῇ ὀκταήμερος, ἐκ γένες Ἰσραὴλ, φυλῆς Βενιαμὶν, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, κατὰ νόμον Φαρισαῖος, — — — κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ γενόμενος ἄμεμπτος* 3, 4. 6) cfr. 2 Cor. 11, 22 (pag. 128). Jam vero, quum quæ in eodem capite vv. 18. 19 leguntur, non minus apte in hoc judaizantium doctorum genus quadrare videantur, quidni suspicari licet, Apostolo hæc scribenti eorundem homi-

---

rationibus, quibus explicatio a nobis in textu proposita defenditur, vide commentarios *Heinrichsii*, *Rheinwald*, al.

1) Nam ut priori loco Paulus circumcisionem (*τὴν περιτομήν*) ironice appellat *concisionem* (*κατατομήν*), ita posteriori loco contemtum, quo hoc hominum genus prosequitur, præ se fert, asserens: "glorientur de circumcisione sua, immo si voluerint, genitalia sua resecent, si modo vos turbare desinant."

num studia ante oculos obversata esse? — Ubi Paulus v. 18 de hominibus queritur, qui describuntur ἐχθροὶ τῦ σταυρῦ τῦ Χριςῦ, nonne in mentem nobis venit eorum, qui Galatis circumcisionem obtrudebant, μόνον ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τῦ Χριςῦ διώκωνται Gal. 6, 12? Inest omnino verbis Pauli utroque loco eadem amphibolia; nam ut illo loco duplex sensus tribui potest ϑ. τ. σ. Χρ· (v. pag. 119), ita quoque ε. τ. ς. τ. Χρ. appellari poterant vel ii, qui nolebant crucem Christi subire ɔ: ea mala perferre, quæ adjuncta essent professioni fidei Christianæ (cfr. Math. 10, 38. Luc. 9, 23. 14, 27), qui nolebant συμμορφύμενοι γινεσθαὶ τῷ ϑανάτῳ τῦ Χριςῦ, vel ii, quibus doctrina de morte Christi offensioni erat (1 Cor. 1, 17. 18). Utrumque arctissime erat conjunctum, nam propterea quod aversabantur mala & passiones religionis christianæ causa subeundas, ideo eam partem evangelii aversabantur, quæ odium & indignationem Judæorum vehementissimam excitabat, doctrinam nimirum de Christo cruci affixo, solo salutis præsidio [cfr. pag. 119]. Verba Pauli v. 19, quibus terrere vult Philippenses, ne pessimo illorum hominum exemplo seducantur: ὧν τὸ τέλος ἀπώλεια, simillima sunt iis, quibus depingitur poena doctoribus vanis Corinthiacis imminens: ὧν τὸ τέλος ἔσται κατὰ τὰ ἔργα αὐτῶν 2 Cor. 11, 15. Neque descriptio deest earundem rationum turpissimarum, quibus id genus hominum in agendo ducebatur (ὧν ὁ ϑεὸς ἡ κοιλία, καὶ ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, οἱ τὰ ἐπίγεια φρονῦντες, cfr. quæ antea disputata sunt de pseudodoctoribus Galaticis & Corinthiacis p. 110 sqq.).

Eadem vero similitudo, quæ descriptioni hominum, a quibus Philippenses jubentur sibi cavere, cum descriptione pseudodoctorum Galaticorum & Corinthiorum intercedit, observatur quoque in adumbratione eorum hominum, quorum mentio fit in ep. ad Rom. 16, 17. 18. Hi quoque fingebant se esse ministros Christi (cfr. 2 Cor. 11, 13. 14. 22.), quum reapse nonnisi terrestribus commodis consulerent (οἱ γὰρ τοιῦτοι τῷ κυρίῳ ἡμῶν Χριςῷ οὐ δουλεύυσιν, ἀλλὰ τῇ

ἑαυτῶν κοιλίᾳ)[1]. Aliud præterea criterium, quod iis cum pseudodoctoribus Corinthiis (p. 129 not.) commune erat, hoc loco commemoratur: διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων (cfr. Gal. 4, 17).

Sed præter hanc similitudinem rationes quoque historicæ nobis suadent, fuisse unum idemque adversariorum genus, quod Apostolo ante oculos obversaretur, quum Christianos Romanos & Philippenses ad vigilantiam contra homines *jam* descriptos cohortaretur.

Ut Apostolus Philip 3, 1 indicavit, se jam antea de studiis horum adversariorum monuisse ita v. 18 idem repetit: οὓς πολλάκις ἔλεγον, νῦν δὲ καὶ κλαίων λέγω. Si quæritur, *quando* Apostolus hac de re jam *sæpius* Philippenses monuerit, ad tempus ablegamur, quo Paulus in tertio itinere evangelii gentilibus annuntiandi causa suscepto Philippos adiit (Act. 20, 6). Eo tempore turbæ, quæ a Judaistis in ecclesiis Galatiæ & Corinthi motæ erant, metum jam excitarunt Apostolo, ne eædem ad alios quoque cætus propagarentur. Antequam Paulus Philippos venit, per tres menses in Græcia et quidem in urbe Corinthiorum versatus fuerat (Act. 20, 2. 3 cfr. ep. ad Rom.). Ibi præsens experiri poterat, quæ jam antea ab aliis (1 Cor. 1, 11) cognoverat de studiis adversariorum judaizantium. Non mirum igitur est, eo præsertim tempore cogitationem de hac christianæ civitatis peste animo ejus alte insitam fuisse. Eodem vero tempore epistolam ad Romanos conscripsit. Quum proclivitatem, qua multi e Judæo-Christianis Romæ versantes in disciplinam asceticam

1) "Bezeichnung niedriger Selbstsucht." *de Wette, Erklär. des R. B.* 1835. cfr. *Plutarch. de cupid. divitiar.* Δημάδης εἰς τὴν γαστέρα ἐδημαγώγει. *Ammon, ed. Kopp. Comm. in ep. ad Rom.* — *Olshausen* "Die Beschuldigung, dass sie dem Bauche dienen, ist nicht so zu verstehen, als wolle Paulus sie als Schwelger darstellen; das pflegten die pharisäischen Judenchristen gerade nicht zu seyn, sondern nur so, dass sie als für sich und ihren Vortheil, nicht für Christus arbeitend beschrieben werden."

Mosaicæ simillimam ferrentur (cfr. p. 106 sq.), compertum haberet, non temere ipsi metuendum erat, ne judaizantes doctores perversissimi generis Romam quoque se transferrent Christianos perturbaturi & dissidia inter eos disseminaturi. Quæ quum ita essent, haud superfluum judicavit, in epistola ad Romanos data, animos fidelium præmunire contra insidias, quas ipsis minarentur studia falsorum doctorum, qui ubivis locorum mala molirentur adversus sinceram evangelii doctrinam. Verum quum nondum, quantum Paulo constabat, pessimis illis hominibus contigisset inter Christianos Romanos errores suos cum successu spargere, (cfr. Rom. 16, 19 ἡ γὰρ ὑμῶν ὑπακοὴ εἰς πάντας ἀφίκετο. Χαίρω ἐν τὸ ἐφ᾽ ὑμῖν), in admonitione simpliciori acquiescebat, ita tamen ut paucis satis clare adumbraret rationem illorum hominum astutam perniciosamque [1]). Corintho apostolus se contulit Philippos, ubi quum aliquamdiu commoraretur [2]), festum paschale in hac urbe obiens (Act. 20, 6), copia ei facta est accuratius de iis rebus cum Philippensibus agendi, quas gravissimas iisque maxime necessarias eo tempore judicavit. Inter has res non ultimo loco positam fuisse admonitionem de doctoribus falsis sedulo evitandis, jam ex eo conjici potest, quod paucis diebus postquam Philippis Miletum venit, orationem ad presbyteros Ephesinos habuit, cujus præcipua pars in eo

1) *Olshausen, Comment. in h. l.* "Eben dass die Ermahnungen so abrupt, und in so allgemeinen Zügen abgefasst, angebracht wird, spricht aufs entschiedenste, dass jene Irrlehrer nicht wirklich in Rom existirten, sondern Paulus nur die Römischen Christen für den möglichen, und leider nur zu wahrscheinlichen Fall vor ihnen warnen wollte, dass sie sich auch dort einfinden sollten." Ita quoque *de Wette* ad Rom. 16, 17.

2) *Hemsen, der Apostel Paulus* p. 475. "Zu Philippi scheint er den längsten Aufenthalt gemacht zu haben. Er traf wahrscheinlich kurze Zeit vor dem Osterfeste, Anfangs April, dort ein..... Mit seinen Begleitern blieb er daselbst, um das Osterfest zu feiern."

versabatur, ut sibi cœtibusque suis caverent ab insidiis falsorum doctorum (Act. 20, 29 sqq.), quos ex variis partibus ecclesiam christianam circumvenire Apostolus jam vidit.

Paucis annis præterlapsis, quum Paulus Romæ vinculis teneretur, epistolam ad Philippenses conscripsit. Jam tum alia rerum facies oborta erat. Falsi doctores tum ad Romanum quoque cœtum aditum sibi paraverant. Nam eo tempore, quo Paulus hanc epistolam ad Philippenses dedit, mitior, qua in vinculis utebatur, conditio animum erigebat reliquis Christianis, ut majori cum fiducia evangelium tradere auderent (τὺς πλείονας τῶν ἀδελφῶν ἐν κυρίῳ, πεποιθότας τοῖς δεσμοῖς μυ, περισσοτέρως τολμᾷν ἀφόβως τὸν λόγον λαλεῖν, Philipp. 1, 14). Hinc quoque falsi doctores altiores spiritus ducere coeperunt, quum antea metu perculsi tranquilliores se gessissent. Ubi spes oriri coepta est, fore, ut ope evangelii, multis gentilibus jam probati (1, 12. 4, 22), lucrum et autoritatem sibi conquirerent, insidias solitas struebant, adeo ut evangelium Christi quidem prædicarent, sed, Paulo teste, non *sincere* (τὸν Χριστὸν καταγγέλλυσιν οὐχ ἁγνῶς v. 15; hoc vel ad animum, quo evangelium tradebant, vel ad rationem docendi eorum referri potest; utrumque sine dubio arcte conjunctum erat: ubi enim evangelium non sincero animo et consilio tradebant, ibi nec exspectandum erat, eos sincerum evangelium tradere, sed adeo corrumpere, ut multa adderent, multa silerent). Ratio, cur ita agerent, a Paulo dicitur fuisse invidia et rixandi studium (διὰ φθόνον καὶ ἔριν v. 15). Propria tamen, quamvis remotior causa videtur repetenda esse ex studio lucri et honoris sibi conciliandi, ἐξ ἐριθείας v. 16[1]). Huic enim consilio tum demum optime satisfacere licebat, quum primum

1) Ἐριθεία derivatur ab ἐριθεύω (ἔριθος mercenarius) pro mercede laboro; 2) de magistratibus ac judicibus, ambitione et largitione permotus ago — fraudes struo, dolose ago. Igitur ἐριθεία labor *pro mercede*, lucri studium. In Phil. 2, 3 monet Paulus: μηδὲν (cfr. ποιεῖτε) κατὰ ἐρίθειαν ἢ κενοδοξίαν.

factiones et dissidia inter Christianos provocassent. Quemadmodum Corinthi pseudodoctores lætissime florebant, quod non tantum certos quosdam homines ad partes suas traxerant, sed integris factionibus sibi addictis nitebantur, ita alibi quoque idem moliebantur. (Ex his quoque intelligitur, cur Paulus Rom. 16, 17 Romanos jubeat σκοπεῖν τὺς τὰς διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα ποιῦντας). Neque hac occasione inimicitia, qua in Paulum ferebantur pessimi illi homines, silentio prætermittitur. Paulus enim v. 16 dicit, eos hac quoque spe duci, se hoc modo afflictiones ipsius aucturos esse (οἰόμενοι θλίψιν ἐπιφέρειν τοῖς δεσμοῖς μυ). Nolebat tamen Paulus hanc lætandi materiem iis largiri: e contrario lætitiam præ se fert, quod christiana religio etiam hoc modo plurimis innotescat; (Τί γάρ; πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται· καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι v. 18); nam ita semper mali et impii, quanquam inviti, inserviunt decretis divinis promovendis.

Quod vero ad ipsam ecclesiam Philippensium attinet, iis theologis accedere non dubitamus, qui statuunt, admonitiones Pauli non tam placita falsorum doctorum Philippensibus jam probata præsupponere, quam apostolum metuentem, ne vel hæc ecclesia, quæ sibi semper fuisset quam maxime addicta (cfr. 4, 15. cfr. Cap. 1, 3-12), ad partes eorum perniciosas perduceretur [1]). Utebatur sine dubio ecclesia Philippensis eo tempore eadem conditione, si falsos doctores spectes, qua olim Romana [2]). Ut in Rom. 16, 17. παρακαλῶ ὑμᾶς, σκοπεῖν τὺς &c. ita Philippensibus acclamat: βλέπετε

1) Cfr. *Schinz, die Gemeinde zu Philippi. Zür.* 1833.

2) *de Wette, Erklär. des Römerbr.* Rom. 16, 17. "Baur, Tübing. Zeitschr. 1831 IV. 164. ff., nimmt bey den römischen Christen eine judenchristliche Tendenz an. Aber eben die Vergleichung der Stellen aus dem Phil. Br. (3, 2 ff. 18 f.) erlaubt anzunehmen, dass der Ap. nur vor solchen Menschen warnt, auf den möglichen Fall, dass sie nach Rom kommen könnten."

τὰς κύνας, βλέπετε τὰς κακὰς ἐργάτας. Utrumque verbum vulgo quidem redditur: *cavete vobis a....*, sed minus accurate, quum σκ. s. βλ. τινα proprie significet: *intueri aliquem, ad illum attendere*, cum in malam partem de caventibus sibi, tum in bonam de sequentibus aliquem, Phil. 3, 17. Rectius igitur: *Intentis oculis spectate!*

CAPUT TERTIUM.

Adversarii, qui in cætibus a Paulo vel a discipulis ejus conditis errores communi Apostolorum doctrinæ obstantes spargere studebant.

§ 10.

Qui in cætu Thessalonicensium doctrinam de adventu Domini corrumpebant.

Restat tandem tertium adversariorum Pauli genus commemorandum, ad quod ii referendi sunt, qui ab apostolo nostro impugnabantur, quum in cætibus præcipuæ ejus curæ commissis errores spargerent, unde periculum immineret sinceræ doctrinæ evangelicæ, qualis ab omnibus Jesu apostolis tradebatur. Huic generi primum ii annumerandi sunt, qui doctrina apostolica de παρουσίᾳ Χριστοῦ proxime instante minus fideliter tradenda cætum Thessalonicensium adeo perturbabant, ut consilio illi, quo hæc doctrina coram Thessalonicensibus a Paulo strenue proposita fuisset, non solum obessent, verum etiam damnum afferrent civitati christianæ.

Constat ex narratione Lucæ in Act. App. 17, 1 sqq. et ex literis Pauli ad Thessalonicenses datis, *Ethnico-Christianos* majorem ecclesiæ Thessalonicensis partem constituisse. Lucas enim l. c. tradit, haud ita multis Judæis, Græcis vero longe pluribus [1]) evangelium, quod Paulus annuntiaret, pro-

1) Pro lectione τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος Act. 17, 4

batum esse. Huic narrationi optime congruit indoles utriusque epistolæ ad Thessalonicenses a Paulo datæ; nam in utraque ita agit autor cum lectoribus, ut facile pateat, Ethnico-Christianos animo ipsius obversatos fuisse. Abstinet enim ejusmodi modis rationibusque argumentandi ad placita ingeniaque potissimum Judæorum accommodatis, quales alibi in scriptis ejus frequenter obveniunt; nec laudat nec allegorice tractat effata librorum antiqui foederis; plerumque exemplis utitur & vocabulis e vita moribusque hominum ethnicorum desumptis; pluribusque locis lectores tanquam Christianos e paganorum numero diserte alloquitur (1 Thess. 1, 9 cfr. 2, 16. 4, 13). — Propterea quod plerique Judæorum Thessalonicensium inde ab initio, quo evangelium in urbe eorum tradi cæptum est, acerrimi exstiterunt novæ religionis hostes (Act. 17, 5 sqq. cfr. § 4. § 5), inde fortasse explicari potest, cur nulla reperiantur vestigia ejus studii, cujus Judæo-Christiani in cætibus, Judæis Gentilibusque mixtis autores esse solerent. Odium enim, quo plerique Judæorum Thessalonicensium sectatores Christi persequebantur, mox ab initio tantum dissidii inter cultores Mosis & eos, qui Christianam fidem amplectebantur, movisse videtur, ut de ulla mediatione inter utrosque ne cogitari quidem posset. Nec desiit, expulso Paulo (Act. 17, 10-14), ira Judæorum fervere. Ex epistola enim Pauli, 1 Thess. 2, 14, constat, Thessalonicenses etiam post discessum Pauli vexationibus gravissimis ὑπὸ τῶν ἰδίων συμφυλετῶν fuisse obnoxios. Vocabulum συμφυλέτης, quod ἁπ. λεγ. est in N. T., significat proprie: *ex eadem tribu oriundus*, sensu latiori: *popularis, qui ejusdem est gentis & nationis*. Jam vero συμφυλέτας Thessalonicensium intelligendum quidem esse de *ethnicis*, cum adjectivum docet: ἰδίων = ὑμετέρων, tum appositio καθὼς καὶ αὐτοὶ (sc. Christiani Palæstinenses) ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων. Sed ex uberiore descrip-

---

Lachmann in textum recepit τῶν τε σεβομένων καὶ Ἑλλήνων; quam lectionem *Schott* quoque in *Prolegg. in epp. ad Th.* tuetur.

tione perversertitatis summæ & velut hæreditariæ Judæorum mox addita (v. 15) apparet, Paulum potissimum cogitasse de Judæis ut *autoribus* illarum vexationum, quippe qui indigne ferrent, consortium felicitatis regni Messiani secundum doctrinam apostolorum gentilibus quoque oblatum fuisse (v. 16). Cfr. § 5.

Postquam Paulus e Macedonia discesserat & Athenis visitatis Corinthum profectus erat, Timotheus & Silas *in hac* urbe eum convenerunt (Act. 18, 5 cfr. 1 Thess. 3, 6) eique nuntiarunt, quæ húc usque inter Thessalonicenses accidissent. Neque in hac relatione vestigia ulla reperiuntur suspicionis & invidiæ, quam Judæo-Christiani haud raro in animis Ethnico-Christianorum contra Paulum excitare studebant; e contrario Timotheus & Silas non solum insignem constantiam animique fortitudinem laudabant, qua Christiani Thessalonicenses propter ingenuam veritatis professionem durissima quæque perpessi fuissent inter populares suos, verum etiam gratum celebrabant animum, quo Thessalonicenses, Pauli doctoris sui semper memores, ejus videndi studio flagrarent (1 Thess. 3, 6). Omnia igitur indicare videntur, cætum Thessalonicensium Paulo sincere addictum neque adversarios malevolos exinde sibi metuendos fuisse. Attamen comites Apostoli *non* tacebànt, plures eorum, qui Thessalonicæ Christum profiterentur, in varios errores & sollicitudines conjectos esse, quibus fovendis doctrina Pauli de solemni Jesu Christi reditu occassionem præbuisse videri posset.

Paulus enim, quum inter Thessalonicenses versaretur, multa de adventu Domini ac felicitate per eum jamjam oritura fidelibus ejus cultoribus eo cónsilio disputaverat, ut eo majori cum fortitudine & alacritate Thessalonicenses calamitates & injurias perferrent professioni evangelii junctas. Ut reliqui Jesu apostoli (Jac. 5, 8. 1 Pet. 4, 7. 1 Joh. 2, 18) Paulus quoque tempus hujus adventus proxime instare (1 Tess. 4, 15. 1 Cor. 15, 51) existimavit, quanquam verborum Domini (Act. 1, 7 cfr. Marc. 13, 32. Matth. 24, 36) probe

memor, caute abstinuerat a certo temporis momento constituendo, quo gloriosa illa rerum immutatio eventura esset. Hæc exspectatio de regno Messiano mox affuturo initio quidem haud parum potestatis habuit ad animos Christianorum Thessalonicensium erigendos iisque cum fortitudinem tum patientiam suggessit ad externa mala, quibus obnoxii erant, æquo animo perferenda. Sed quum aliquod tempus præteriisset neque Messias apparuisset, dubitationes quædam obortæ sunt, quæ animos multorum suspensos tenebant. Nonnulli dubitare cæperunt, an ii Christi cultores, qui mortem ante reditum Christi obiissent, resurrectionis mortuorum pariter atque ii, quorum vita terrestris ad *παρȣσίαν* usque servatoris pertingeret, participes futuri essent (1 Thess. 4, 13). Alii resuscitatum quidem iri mortuos sperabant, sed serius vel in gradu inferiore constitutos hac felicitate potituros esse opinabantur (4, 15). His dubitationibus vanis Apostolus noster in epistola ad Thessalonicenses Corintho missa certam opponit exspectationem, resurrectioni ipsius servatoris superstructam, fore, ut omnes Christi cultores pii vita terrestri defuncti in vitam meliorem transeant, neque ulla iis concedatur prærogativa, qui tempore apparitionis Jesu Christi gloriosæ hac in terra superstites futuri sint (1 Thess. 4, 13-18). Quamquam Paulus etiam hoc loco reditum Christi solennem tanquam eventum haud procul remotum enuntiasse videtur (4, 15 *ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι εἰς τὴν παρȣσίαν τȣ̃ κυρίȣ*) [1]), curiositatem tamen eorum, qui, quo tem-

---

1) Suo quidem jure *Tholuck*, *Comment. zum Br. a. d. Hebr.* 1836 p. 184 observat: "Aus dem *ἡμεις οἱ περιλειπόμενοι* lässt sich doch keineswegs mit Sicherheit schliessen, was man daraus geschlossen hat (dass Paulus den Eintritt der Wiederkunft des Herrn bei seiner Lebenszeit noch mit Bestimmtheit erwartet habe); gewiss ist die communicative Sprachweise dort zulässig." Verum tamen rectius *Pelt* (*Comment. in epp. ad Th.* 1830): "Quanquam Apost. communicative ita loquatur, eam

pore Christus esset venturus, vel impatienter vel anxie quærebant, confirmare noluit. Itaque lectores suos porro jussit in eo acquiescere, quod probe tenerent παρουσίαν Domini *tempore incognito, inopinato, subito* esse futuram docuitque non esse, quod illum eventum forsitan prope instantem anxii sollicitique exspectarent, si modo animum servarent vigilantem, adventui judicis bene præparatum (5, 1-11).

Constat ex aliis monumentis historicis, Christianorum haud paucos diversis temporibus [1]) illa exspectatione de adventu Domini proxime instante adeo conturbatos fuisse, ut, omissis negotiis suis, ignaviæ aliisque vitiis se traderent. Hujus rei vestigia etiam in cætu Thessalonicensium reperiri videntur. Nam cohortationes & admonitiones, quæ continentur 1 Thess. 4, 10-12. 2 Thess. 3, 10-12, docent, fuisse inter Christianos Thessalonicenses, qui vitæ otiosæ indulgentes strenuo manuum labore victui suo prospicere nollent, sed aliorum liberalitati perperam confidentes hisce molesti essent beneficentia eorum imploranda. Notantur porro homines, qui ordinem in agendo non servabant (οἱ ἄτακτοι), qui male seduli alienis rebus se immiscebant (1 Thess. 5, 14. 4, 11). Hæc vitia facile oriri poterant, ubi animi hominum unice defixi tenebantur in gravissima illa rerum omnium immutatione, quæ mox eventura esset. Quo gravius damnum ex ejusmodi animi affectione, qua multi Thessalonicenses laborabant, ortum erat, eo facilius alii in partes omnino contrarias trahebantur, adeo ut vel omnem concitatiorem Spiritus divini in animis humanis efficientiam, omnem vividiorem spem & exspectationem contemtu persequerentur. Fortasse frigidæ horum hominum arrogantiæ Paulus præstantissimum illud acclamavit: Τὸ Πνεῦμα μὴ σβέννυτε· προ-

---

tamen oratione sua involvit sententiam, fieri *posse*, ut cum iis, ad quos scribit, ipse viveret judicii extremi tempore."

1) Cfr. v. c. *Gieseler, Lehrb. der Kircheng.* 3te Aufl. 1831 2 B. 1 A. p. 229 Not.

φητείας μὴ ἐξουθενεῖτε· πάντα δὲ δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε· (1 Thess. 5, 21) [1]).

Quod vero Paulus epistola ad Thessalonicenses conscribenda efficere studuerat, non omnino eventu est comprobatum. Solatium quidem iis attulerat, qui de sorte defunctorum solliciti erant, sed desiderio, quo plerique tenebantur, temporis adventus Domini accurate cognoscendi, haud satisfecerat. Paulus enim id inprimis egerat, ut, omisso omni certo temporis momento, quo reditus Christi exspectandus esset, hanc exspectationem ita in usum converteret, ut cohortationibus suis ad vitam pie & tranquille agendam inserviret. Verum, ut fit, homines non tam ad salutares illas admonitiones animum advertebant, quam ad id, quod Apostolus in epistola sua subitam illius eventus apparitionem denuo inculcasset; multi igitur hinc occasionem petebant eo studiosius in ipsum temporis momentum inquirendi, quo rerum universitas gravem illam immutationem subitura esset. Exstiterunt homines, quibus Thessalonicenses faciles præbebant aures, quum revelationes sibi divinitus contigisse perhiberent (*διὰ πνεύματος* 2 Thess. 2, 2), quibus confirmaretur vulgaris opinio de *παρουσία* Christi jamjam apparitura. Alii ad autoritatem ipsius Pauli provocantes verba ejus, quæ olim, quum inter Thessalonicenses versaretur, fecerat, male interpretabantur, adeo ut sensum iis subjicerent a Pauli mente alienum, aut dicta proferebant tanquam ab Apostolo profecta, licet ei afficta & supposita essent (*διὰ λόγου* l. c.). Alii denique epistolam circumferebant tanquam ab apostolo conscriptam, qua itidem probaretur, proxime jam instare diem Domini (*δι' ἐπιστολῆς* l. c.) [2]). Non est, quod hæc studia,

---

1) *Neander*, *Ap. G.* 1 p. 260.

2) Verba Pauli 2 Thess. 2, 2..... *μήδε θροεῖσθαι μήτε δια πνεύματος, μήτε διὰ λόγου, μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, ὡς ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ κυρίου.* (s. *τοῦ Χριστοῦ*) alii aliter explicant. *Krause* de vaticiniis V. T. male intellectis, *Noësselt* de oraculis Christi Matth. 24, 29 sqq. & locis parall., quibus prophetæ plures

quanquam improbanda erant, malevolis autorum consiliis adscribamus. Multa enim exstant testimonia, e quibus apparet, ejusmodi fraudis genera pio quodam, ut putabatur, consilio illis temporibus sæpius commissa esse 1), adeo ut si quis pias admonitiones Pauli in epistola quadam denuo repetiiset vel uberius exposuisset, facile sibi persuadere posset, haud illicitum esse etiam effata Apostoli de reditu Messiæ diligen-

Christiani sententiam suam de reditu Domini *quam proxime* jam instante superstruxerint. Utrumque — ait *Schott* ad h. l. — magis perspicue enuntiandum fuisset. Cum hoc vener. viro non dubitamus statuere, Paulum διὰ πνεύματος scribentem cogitasse de institutione vel prædicatione, quæ perperam tribueretur motui interno spiritus divini, de oraculis pseudoprophetarum, oriundis e spiritu erroris & mendacii, ἐκ πνεύματος τῆς πλάνης opp. πν. τῆς ἀληθείας 1 Joh. 4, 6. 1 Tim. 4, 1. (Sic etiam *Pelt* ad h. l.). *Reiche* in *comment. auth. poster. ad Th. ep. vindic.* Gött. 1829 verba ὡς δι' ἡμῶν cum illis δια πνεύματος pariter atque cum seqq. διὰ λόγου, δι' ἐπιστολῆς cohærere existimat: "nolite perturbari vel sermone prophetico perperam mihi adscripto vel"..... Sed, ut monuit *Pelt* l. c., πνεῦμα nunquam singulare aliquod designat oraculum. *Reiche* quoque vocabulum λόγος, ne h. l. post πν. supervacaneum appareat, ab hoc ita differre existimat, ut λόγος colloquia *tantum* privata significet, quæ Paulum cum discipulis instituisse perhiberent, πν. vero sermones sacros, quos Apostolum dicerent in synagoga habuisse. Sed rectius statuitur λογὸν h. l. ut institutionem ore factam oppositum esse ἐπιστολῇ (cfr. v. 15 τὰς παραδόσεις, ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν). Restat tamen duplex explicandi ratio, quam supra exhibuimus, aut de sermone, qui Paulo affictus esset, aut de sensu verbis ejus perperam subjuncto. Quod attinet μήτε δι' ἐπιστολῆς ὡς δι' ἡμῶν, etiam hæc verba explicari possunt aut de epistola Pauli prius ad Thessalonicenses conscripta, cui nonnulli interpretationem sinistram subjungerent, aut de epistola Paulo supposita. Rectius tamen de epistola Paulo supposita, quum Apostolus sub finem epistolæ (3, 17) signum exhibuerit, quo epistolæ vere ab ipso profectæ dignosci possent a suppositiciis.

1) Cfr. querelas Dionysii episcopi, *Euseb* IV, 23.

tius interpretari & uberius exornare necnon hanc disputationem, quo major ei conciliaretur autoritas, Paulo ipsi adscribere [1]). — Sed præposteræ huic sedulitati sequelæ noxiæ non deerant. Propterea quod autores horum commentorum non in universaliore illa de subito Domini reditu exspectatione acquiescere volebant, quam Paulus magna cum prudentia in practicum usum converterat, sed limites ab Apostolo caute circumscriptos temere excedebant, hinc factum est, ut Thessalonicensium alii, cupidius justo diem illum desiderantes, rebus vel levissimis ad eam adducerentur opinionem, jam adesse certa ejus diei auspicia necnon lætissimum calamitatis præsentis exitum instare, alii [2]) timore metuque suspensi te-

---

1) Cfr. de Act. Pauli & Theclæ ap. *Tertull de baptismo c.* 17. "Quod si quæ Paulo perperam adscripta sunt, ad licentiam mulierum docendi tingendique defendunt, sciant, in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum, *id se amore Pauli fecisse,* loco decessisse."

2) Ita mihi distingvendum esse videtur inter *ταχέως σαλευθῆναι ἀπὸ τȣ̃ νοὸς* & *θροεῖσθαι* 2 Thess. 2, 2; adeo ut illud referatur ad eos, qui mox aures præberent, ubi quis vociferatus sit (cfr. Matth. 24, 23 *Τότε ἐαν τις ὑμῖν εἴπῃ·) Ἰδοὺ, ὧδε ὁ Χριςὸς (ἢ ὧδε κ. τ. λ.)*, i. e. ad eos, qui, quum gravioribus eo tempore vexarentur afflictionibus, procliviores essent ad lætissimam spem concipiendam, si vel levissimum observassent signum, quod initium illius eventus præsagire sibi videretur — *θροεῖσθαι* vero ad eos, qui non tam futuram lætitiam, quam instantes vicissitudines gravissimas suspenso animo spectarent. *Schott* quidem *Heydenreichio* accedit, qui sententiam *Koppii*, cui *ταχέως* impatientiam exprimere videtur, qua plures Thessalonicæ reditum Christi exspectaverint, ideo improbavit, quod verba, quibuscum *ταχέως* propius cohæret, *σαλευθῆναι ἀπὸ* &c., labefactionem potius persuasionis prius probatæ cum perturbatione conjunctam significent. Sed hæc sententia nititur præconcepta illa opinione, quæ ipsi Koppio cum Schott aliisque communis est, fuisse inter Thessalonicenses, qui jam se dejici paterentur persuasione, quam antea amplexi fuissent, de reditu Christi

nerentur insigni illa rerum humanarum mutatione, qualem oratio Christi prophetico-poetica in Matth. c. 24 & Il. parall. descripsit, quotidie exspectanda (2 Thess. 2, 2).

Redierunt igitur sollicitudines & animorum perturbationes, quas removere sibi proposuerat Apostolus priori ad Thessalonicenses epistola conscribenda. Quid igitur ipsi agendum erat? Exspectationem de apparitione Christi jamjam instante, quæ depressos multorum Christianorum animos tantopere exhilarabat, vanam declarare nec voluit nec potuit, quippe cui et ipsi certo persuasum esset, solennem illum diem subito & improviso, fortasse haud ita multo post, affuturum esse. Quum igitur Apostolus solatium ex illa exspectatione repetendam Thessalonicensibus subducere non posset, hanc tamen ita corrigere studebat, ut animi eorum ab ipsius *diei* desiderio ad æquiorem & tranquilliorem illius rerum humanarum immutationis futuræ spem avocarentur. Itaque in altera ad Thessalonicenses data epistola ante omnia Christianos de eo monet, quod jam aliunde edocti essent, non posse diem illum quem tam impatienter vel anxie exspectarent, adesse, nisi errores, vitia, calamitates denique insignes, a Christo (Matth. 24) & Paulo (2 Thess. 2, 5) prædictæ antecesserint. Deinde quum insignem quandam errorum & improbitatis contagionem jam tum gliscere Paulus animadverteret, hanc ipsam improbitatem ad prædictæ istius impietatis initia referre non dubitavit, ejusdemque tamen incrementa paullo ante Christi adventum etiam longe majora magisque tremenda fore docet &

futuro. Constat quidem v. c. ex 2 Pet. 3, 4 fuisse Christianos, qui, quum aliquod tempus præteriisset neque Messias apparuisset, de hac apparitione omnino desperarent (cfr. ep. Polyc. ad Phil. 2); sed nulla vestigia hujus desperationis in epp. ad Thess. reperiuntur. Verba τ. σ. α. τ. ν. significare posse ejusmodi vehementiorem animi affectionem & impatientiam, qua quis ita festinet, ut præpostere agat, confirmatur *Judith* 12, 16: ἐσαλεύθη ἡ ψυχὴ αὐτȣ̃ de trepidatione amoris, quo Holophernes captus est Judithæ.

comminatur. Hac demum ratione spes illa hilaris de felici præsentium malorum exitu futuro conservata quidem est, sed desiderium, quo plerique flagrabant, fore ut se ipsis viventibus dies ille oboriretur, paullulum coercebatur. Animi eorum potius eo convertebantur, ut sibi caverent, ne erroribus & vitiis increscentibus seducerentur adeoque speratæ felicitatis jacturam facerent[1]).

§ 11.

Qui inter Corinthios docebant, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, *& qui inter Ephesios contendebant,* τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι.

Crassioribus illis notionibus, quas cum exspectationes tum dubia Christianorum Thessalonicensium de reditu Domini mortuorumque resurrectione referebant, opposita erat ratio aliorum quorumdam Christianorum, quos studium institutionem evangelicam subtilius explicandi eo adduxisse videtur, ut quam doctrinam illi vanis fictionibus exornassent, eandem hi ad frigidam allegoriam revocarent.

In epistola Pauli ad Corinthios 1re 15, 12 apostolus mirabundus a Corinthiis quæsivit: *Εἰ Χριστὸς κηρύσσεται ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται, πῶς λέγουσι τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν;* (1 Cor. 15, 12). Quænam vero fuerit ratio horum inficiatorum, difficile est accuratius constituere. Nam præter illud Paulinum: *λέγουσι τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν,* nullus certus hoc hominum genus cognoscendi fons nobis præsto est. Diversas quidem hypotheses ad id illustrandum theologi proposuerunt, quum vel objectiones, quas Paulus eodem loco (cap. XV.) contra doctrinam de resurrectione allatas esse *præsupponere* videtur, vel argumenta, quibus apostolus hanc ipsam doctrinam probare confirmareque studet, respicerent atque in auxilium vocarent. Verum, ut scite observavit

1) Cfr. *Koppe* Comment. in 2 ep. ad Thess.

Neander (Pf. d. chr. K. I. p. 313), neque ex his neque ex illis certo conjicere licet, quid illi homines vere statuerint. Ut enim Paulus sæpius in re graviori comprobanda objectiones, quæ contra eam fingi possent, proposuit & refutavit (Rom. 3, 31. 6, 15. 9, 14. 11, 11) ita objectiones l. l. allatas fortasse ipse finxit, præsertim si sibi haud plane compertum fuerit, quibus argumentis adversarii doctrinam apostolicam de resurrectione mortuorum impugnarent. Argumenta vero, quibus Paulus doctrinam a se traditam probavit, fortasse non tam objectiones adversariorum spectabant, quam nexum illius veritatis, cujus ipse erat patronus, cum aliis placitis, quæ sibi certissima omnium videbantur. Quando igitur ita disputat: *Εἰ δὲ ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν, οὐδὲ Χριςὸς ἐγήγερται· εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, κενὸν ἄρα τὸ κήρυγμα ἡμῶν, κενὴ δὲ καὶ ἡ πίςις ὑμῶν* vv. 13. 14. *Εἰ γὰρ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, οὐδὲ Χριστὸς ἐγήγερται· εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται, ματαία ἡ πίςις ὑμῶν κ. τ. λ.* vv. 16. 17. —: ex iterato illo *εἰ δὲ Χριστὸς οὐκ ἐγήγερται* non certo concludi potest, adversarios illos negasse, Christum e mortuis esse resuscitatum, quoniam illud fortasse nonnisi membrum est argumentationis, qua Paulus utitur ad confutandam opinionem de mortuis non resuscitandis in universum: "Si mortui non resurgunt (resurgere possunt), nec Christus resurrexit; si vero Christus non resurrexit, evangelium a nobis traditum, omnino irritum est." Fortasse igitur ab ipsis illis hominibus *Χριςὸς ἐκηρυσσετο, ὅτι ἐκ νεκρῶν ἐγήγερται* (v. 12), adeo ut statuerent, Christum quidem in vitam post mortem esse revocatum, quippe qui divinæ esset naturæ, sed ad reliquos mortales resurrectionem nonnisi sensu morali pertinere (v. p. 160). Paulus vero propter identitatem naturæ Christi & naturæ humanæ negat fieri posse, ut Christus resurrexerit, si homines omnino non resurgant (v. 15)[1]. — Sed statui quoque potest,

1) "Der Apostel stützt sich bei dieser Behauptung auf den Ge-

rem ita se habuisse: negabant adversarii resurrectionem & Christi jam factam & hominum omnium futuram. Paulus igitur primum argumenta affert historica (1 Cor. 15, 1-12), quibus evincatur, Christum vere esse resuscitatum; tum ubi demonstravit, hoc factum extra omne dubium esse, argumentum inde petit ad resurrectionem omnium comprobandam. Verumtamen, ut recte observavit *Rückert* (*Comment.* p. 395), Paulus per totam hanc disputationem resurrectionem Christi non tam a dubiis & objectionibus contra eam ortis defendere, quam tanquam rem omnibus Christianis jam probatam testimoniis etiam locupletioribus confirmare videtur, ut illo eventu tanquam firmissimo argumentationis fundamento utatur in confutanda opinione Christianorum quorundam de mortuis non resuscitandis. At certissime tamen fatendum est, ad liquidum perduci non posse, utrum homines illi resurrectionem mortuorum in universum adeoque ipsius Christi resurrectionem, an, resurrectione Christi admissa, reliquorum omnium resuscitationem e mortuis negaverint. Nam quæ recentissimo tempore *Rückert*, *Comm.* p. 394 præterea attulit [1]), compro-

---

danken; Christus sei in allem seinen Brüdern gleichgeworden (vergl. Hebr. 2, 17) und gewiss, hätte der menschliche Geist (in seiner Identität mit dem göttlichen) nicht die Macht, durch den körperlichen Tod hindurchzugehen und sich ein neues Organ zu schaffen, so würde auch Christus dies nicht gekonnt haben: denn damit wäre die Ohnmacht des Geistes an sich, über die Kategorien der Endlichkeit und Vergänglichkeit hinweg zu seyn, behauptet. Darum möchte ich es nicht mit *Usteri* (*Paul. Lehrb.* S. 361) auffallend finden, dass Paulus "nicht im geringsten die Einwendung erwartet, dass Christo als dem Sohne Gottes etwas zukommen könne, worauf die übrigen Menschen keinen Anspruch hätten." Denn da das *Wesen* Christi und des Menschen eins seyn soll, so darf jenem keine *wesentliche* Bestimmung zukommen, die nicht auch diesem zukommt." *Billroth* ad 1 Cor. 15, 13. Cfr. *Rückert* ad h. l.

1) "Es ist fürwahr unglaublich, dass in jener Zeit irgend ein Mensch, gleichviel ob Jude oder Heide, einen gekreuzigten

baturus, fieri non posse, ut inter Christianos apostolici ævi essent, qui resuscitationem Christi tanquam rem in facto positam negarent, leviora sunt, quam ut multum iis tribui possit. Quid enim est, quod dubitemus, homines, præsertim philosophica quadam institutione excultos, Jesum profiteri potuisse Christum servatoremque generis humani, quamquam resuscitationem ejus tanquam rem in facto positam inficias irent? Nonne nostris quoque temporibus theologi & philosophi haud pauci idem statuunt? An quo jure contendere licet, homines recentioris ævi ad fidem Christo vel non resuscitato habendam adduci posse, haud vero ævi apostolici?

Neque certius constitui potest, utrum illi *λέγοντες, ὅτι ἀνάϛασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν* una cum resurrectione mortuorum etiam immortalitatem animorum repudiarint (ut Sadducæi *λέγοντες, μὴ εἶναι ἀνάϛασιν, μηδὲ ἄγγελον μήτε πνεῦμα Act.* 23, 8. cfr. *Joseph. Antt.* XVIII, 1. 4. *Σαδδȣκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναναφανίζει τοῖς σώμασι* B. J. II, 8, 14. *Σαδδȣκαῖοι ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ᾽ ᾅδȣ τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιρȣ̃σι*), an resurrectionem corporum tantum rejecerint, adeo tamen ut contenderent, animos non perire (ut Esseni, qui existimabant: *φθαρτὰ μὲν εἶναι τὰ σώματα καὶ τὴν ὕλην οὐ μόνιμον αὐτοῖς, τὰς δὲ ψυχὰς ἀθανάτȣς ἀεὶ διαμένειν καὶ συμπλέκεσθαι μὲν, ἐκ τȣ̃ λεπτοτάτȣ φοιτώσας αἰθέρος, ὥσπερ εἱρκταῖς τοῖς σώμασιν ἴυγγί τινι φυσικῇ κατασπωμένας· ἐπειδὰν δὲ ἀνεθῶσι τῶν κατὰ σάρκα δεσμῶν, οἷα δὴ μακρᾶς δουλείας ἀπηλλαγμένας, τότε χαίρειν καὶ μετεώρȣς φέρεσθαι.* (*Joseph.* B. J. II, 8, 11). Nam Paulus quidem ipse notio-

---

und nicht auferstandenen Christus als den Herrn, den Urheber des Heiles für die Menschheit, anerkannt haben würde." Cfr. p. 395. "Weder Sadducäer noch Epicuräer (v. quæ postea disputaturi sumus) waren so geistige Menschen, dass sie wohl auch an einen nicht auferstandenen Christus glauben könnten."

nem immortalitatis ita constituit, ut resurrectionem corporum simul ea comprehenderet [1]), sed disputari potest, annon adversarii ab eo notati utramque diligenter distingverent [2]).

Distinctionem illam inter immortalitatem & resurrectionem quum recentiorum theologorum haud pauci negligerent, factum est, ut homines illi a Paulo in priori epist. ad Cor. cap. 15 commemorati vulgo referrentur ad id genus Judæorum vel gentilium, quos constaret doctrinam de vita post mortem futura impugnasse. Fuerunt igitur, qui illos resurrectionis inficiatores quærerent inter Judæo-Christianos, qui, quum antea a partibus Sadducæorum stetissent, etiamnum permanserint in veteri sententia, disciplinam Christianam placitis suis adulterantes [3]). Ad quam sententiam defendendam

---

1) Cfr. ut exemplo utar, 1 Cor. 15, 32. *εἰ νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται, φάγωμεν καὶ πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν.* Vis enim hujus argumenti tum demum valet, ubi resurrectionis & immortalitatis notio una jungitur; nam si quis cum Essenis statueret, animos corpore dissolutos præmiis ornari aut poenis affici (*Joseph B. J.* II, 8), haud illo argumento confutaretur, negata quamvis corporum resurrectione.

2) "Paulus fast die Auferstehungslehre und die Unsterblichkeitslehr überhaupt zusammen, und man kann daher schliessen, dass die Gegner auch die persönliche Unsterblichkeit überhaupt läugneten. Aber es fragt sich doch, ob Paulus so genaue Nachricht von der Meinung dieser Gegner hatte, ob er nicht auch in dieser Hinsicht dem Zusammenhang folgte, in welchem die Glaubenswahrheiten von seinem christlichen Bewustseyn aus ihm erschienen und der Gewohnheit, in den Läugnern der Auferstehungslehre auch Läugner der Unsterblichkeit zu sehn, weil in der gewöhnlichen Polemik der jüdischen Theologie Beides zusammenfiel." *Neander* Pf. d. K. I, p. 314.

3) Cfr. *Heydenreich, Comm. in pr. ep. ad Cor.* II. p. 445. *Hug, Einl.* 2. p. 361 "Sie waren sogar keine von den bessern Juden, sondern solche, welche der Lehre der Sadducäer anhiengen, und nun auch noch im Christenthum, während dem sie voll Eifer für das Gesez sprachen (?), die Hoffnungen der From-

argumentum exinde petitum est, quod Paulus testimoniis apostolorum Judaistis æstimatissimorum, Petri & Jacobi, usus sit in comprobanda historica veritate resurrectionis Christi (1 Cor. 15, 5. 7)[1]). Verum ipsa rei natura jam secum ferebat, ut Paulus in comprobanda resuscitatione Christi plurimum pretii tribueret testimoniis apostolorum, inprimis Petri (*Luc.* 24, 34) atque Jacobi (*Evang. ad Hebr.*; cfr. *Hieron. de vir. ill.* c. 2). Huc accedit, quod Paulus in recensendis testibus resurrectionis Christi chronologicas rationes sequutus est, adeo ut Jacobus & Petrus ne primum quidem locum teneant, quod exspectaveris, si singularis testium autoritas urgenda esset. Desiderantur tandem omnia vestigia, unde conjicere liceat, Paulo cum Judaistis hac occasione agendum fuisse: studium enim legis Mosaicæ, quod *Hug* l. l. commemorat, ne verbo quidem indicatur; abest denique a tota Pauli disputatione acerbitas illa, qua doctores judaizantes carpere solet[2]).

---

men untergruben, und Zweifel gegen die Auferstehung erregten 1 Cor. XV. 35 f. vergl. Matth. XXII. 23."

1) *Hug* l. l. — "so dass sie Paulus aus dem Ansehen der Lehrer, für deren Jünger sie sich ausgaben, aus dem Zeugnisse des Jakob und Kepha widerlegen musste."

2) Nescio an hisce addi possit observatio a *Neander, Pf. d. chr. K. I.* p. 314 proposita: *"Hätte Paulus an Sadducäer gedacht, so würde er sich doch wohl auf ihre eigenthümliche Beweisführung aus der Nichterwähnung im Pentateuch besonders eingelassen haben, wie Christus die Sadducäer auch von diesem Standpunkte aus widerlegt."* Nam hæc opinione niti videtur vulgo recepta de Sadducæis nonnisi Pentateuchum inter sacras scripturas enumerantibus; sed disputari potest, annon illa ipsa opinio loco cuidam apud Josephum (*Antt.* XIII, 10. 6) minus recte intellecto superstructa sit. Cfr. *Stäudlin Gesch. der S. J.* I. p. 421 sqq. — p. 446 "Es scheint, man habe ihnen die Verwerfung aller heil. Bücher ausser dem Pentateuch erst alsdann zugeschrieben, als man sie von den Samaritern, vermuthlich zum Schimpf abstammen liess. S. *Serarii Trihæres* II. 20." Leviora quoque sunt, quibus sententia de ori-

Alii hanc resurrectionis detrectationem majore quidem jure ad Ethnico-Christianos referebant. Hoc enim Christianorum genus facilius confutari posset argumentis a Paulo hoc loco allatis: argumentatio illa, fidem in Christum omnino tolli sublata persuasione de mortuorum resurrectione, vividius sine dubio et fortius plecteret Ethnico-Christianos, quam Judaizantes, qui vana arrogantia ducti semper præsidium sibi aliquod superesse amplectenda disciplina Mosaica credere possent. Exspectare licebat, Ethnico-Christianos præsertim e gente græca ortos ejusmodi argumentis faciliores præbituros

---

gine illorum hominum e Sadducæis repetenda hunc in modum impugnata est: Haud facile — aiunt — historicis argumentis comprobari potest, Sadducæos unquam ad sacra christiana accessisse; jam ipsa ratio hujus sectæ judaicæ totum cælum a disciplina Christiana distabat; per se jam difficile est cogitare, quomodo homines, qui omnia ad hanc terrestrem vitam referrent, adduci possent ad religionem amplectendam, quæ omnia ad cælestia & futuri ævi bona revocabat. Si jam in patria, ubi opibus & autoritate pollebant, haud facile a se impetrare poterant, ut placita sua dogmatica constanter defenderent, quum periculum instaret, ne eorum causa jacturam facerent opum & honorum (*Joseph. Antt.* XVIII, 1), quid tandem eos commovere posset, ut inter peregrinos oberrantes proselytos quærerent maximo cum periculo vitæ & opum suarum? His hominibus sibi sapere sufficiebat, ignorantiam plebis parum curantibus (v. *Neander* l. c. Not.) Dubia quoque prolata sunt (*Usteri Paul. Lehrb.* p. 362. *Billroth* Comm. l. p. 208) an unquam Sadducæismus extra fines Palæstinæ fuerit propagatus. — Sed contra hæc omnia monere juvat, quæ ipse *Neander* alio loco monuit (Cf. p. 375 Not.), argumenta confutaturus, quibus negatum fuerit, pseudodoctores Colossenses fuisse Essenos: "Allerdings kann gegen diese Annahme der Grund noch nicht entschieden seyn, dass die Essener sich nicht ausserhalb Palästina's verbreiteten und keinen Trieb der Proselytenmacherei hatten; denn es könnte ja durch den Einfluss des Christenthums der ursprüngliche Charakter einer solchen Sekte etwas (sehr) verändert worden seyn." Mutato nomine, idem de Sadducæis valet.

esse aures, quæ ex analogia naturæ physicæ (v. 39 sq.), ex enucleatione rerum subtiliorum e materia crassiori (v. 44 cfr. *Phæd. Platon.*) petita essent. Iis demum non poterat non placere oratio luminibus poeticis Menandri (v. 53) Jesaiæ, Hoseæ (v. 54 sqq.) distincta.

Qui vero hos Ethnico-Christianos de grege Epicuri fuisse statuebant [1]), ii rursus a vero aberrarunt. His interpretibus verba, quæ leguntur 15, 32 *φάγωμεν, πίωμεν· αὔριον γὰρ ἀποθνήσκομεν*, symbolum Epicuræorum tam accurate enunciare videbantur, ut haud dubitarent inde concludere, homines, de quibus in hoc capite ageretur, fuisse Epicuræos [2]). Sed, ut recte observarunt *Billroth l. l.* p. 226 & *Rückert* l. l. p. 396, tantum abest, ut illinc concludi possit, homines, quos Paulus meliora docere studet, fuisse Epicuræorum placitis addictos, ut hic locus homines corrigendos potius præsupponat, qui Epicuræismum cum horrore fastidirent [3]). Neque tamen hoc prohibet, quominus Paulus suspicari potuerit, errorem, quem exstirpaturus esset, fortasse ortum esse vel saltem nutriri ab hominibus, qui dissolutis essent moribus [4]).

1) *Heydenr.* l. l. p. 446. "Hi tales, vel Epicuræi vel Sadducæi olim fuerint, et ipsi, postquam Christo nomen dedissent, non dimovebantur de sua opinione et alios traducebant facile in assensum, quoniam hæc sententia blandiebatur libidinibus sinebatque ad abitrium vivere projecto & effrænato ingenio cf. v. 32-34."

2) *Heydenreich* l. l. p. 547 "Epicuræi denique Corinthienses, qui resurrectionem mortuorum negabant, hoc symbolo absque dubio usi sunt."

3) "Diese Worte haben offenbar den Sinn: Wenn keine Auferstehung ist, so folgt — *eine Folgerung, die Ihr verabscheuen werdet* — dass u. s. w. Wären diejenigen, zu denen Paulus redet, epicuräisch gesinnt gewesen, so hätte er schon die Worte: *εἰ κατὰ ἄνθρωπον* — *ὄφελος* nicht als Instanz gegen sie anführen können; im Gegentheil, sie würden gesagt haben: ja Du *bist* auch thöricht, dass Du Dich in Lebensgefahr begiebst." *Billroth.*

4) *Hemsen, der Apostel Paulus* p. 299 sq. "Wäre diese Hoff-

(*Μὴ πλανᾶσθε· φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί*.... *ἀγνωσίαν γὰρ θεοῦ τινες ἔχουσι· πρὸς ἐντροπὴν ὑμῖν λέγω*. vv. 33-34) cfr. p. 96.

Rectius omnino cogitare licet cum *Neander* (Ap. G. 1. p. 316) *Usteri* (*P. L.* p. 363). *Billroth* (Comm. l. l.), *Rückert* (Comm. p. 396) de Ethnico-Christianis, qui non tam immortalitatem animorum, quam resurrectionem corporum, præsertim qualis a multis Christianis, crassioribus notionibus admixtis constituta fuerit, in dubium vocarent vel diserte repudiarent. Rationes vero, unde hæc dubia orta fuerint, haud opus est ex Sadducæismo vel Epicuræismo repetere, quum quæstiones huc spectantes: *quomodo fieri potest, ut corpus, quod in putredinem abierit, integrum denuo restituatur? quid omnino opus est corpore in existentia perfectiori post mortem futura?* in animis hominum facile oriri possent, qui inter spiritum & materiem subtilius dstingvere didicissent sociosque fidei haud paucos crassioribus de resurrectione corporum opinionibus indulgentes viderent [1]). Attamen quum

nung eitel, dann müssten diejenigen Recht haben, die das flüchtige Leben so viel als möglich zu geniessen suchen. Aber solchen möchten doch die Corinthier nicht folgen. Es sey zu befürchten, dass die Zweifel an der Auferstehung der Todten von solchen verderbten Menschen herrühren. Ein Umgang mit ihnen werde leicht gefährlich werden können." *Billroth l. l.* p. 227 "Unbezweifelt waren nämlich unter den Corinthischen Christen überhaupt und unter den Auferstehungsläugnern insbesondere einige sittlich verdorbene Menschen; nicht diese aber konnten, wie gesagt, diejenigen seyn, zu denen der Apostel eigentlich redet: denn bei letztern setzt er eine sittliche Weltansicht voraus. Darum sind die *τινὲς* V. 34 gewiss nicht dieselben *τινὲς*, die V. 12 vorkommen, sondern nur ein geringer Theil von ihnen. Paulus konnte sehr wohl so reden: er beginnt unser Cap. mit der Anrede an *alle* Corinther; von diesen sind die *τινὲς* V. 12 ein Theil; dann wendet er sich offenbar zu diesen Theil insbesondere, und von ihm sind wieder die *τινὲς* V. 34 ein Theil."

1) Hæc confirmantur, si respicias quæstionem e mente adversa-

doctrina de resurrectione mortuorum a Jesu Christo ipso diserte tradita sit (Matth. 22, 29-32. Luc. 20, 34-38), verisimile est, homines illos, qui et ipsi *Christiani* essent (*τινες ἐν ὑμῖν*), doctrinam Jesu de resurrectione non quidem repudiasse, sed ita interpretatos esse, ut eam ad resuscitationem humani generis e morte peccati referrent, ad conversionem igitur hominum ab errore & vitiositate ad novam vitam Christo duce agendam. In hac sententia sustinenda persuasum sibi fortasse habebant, Paulum ipsum secum facere ob effata iis similia, quæ exstant *Rom.* 6, 4-6. 13. Col. 2, 12. 13. 3, 1. al. Videntur igitur hi ejusdem generis fuisse ac Hymenæus & Philetus, 2 *Tim.* 2, 17. 18., qui docebant, *τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι* [1]), quorum quoque sententia hac demum ratione optime explicatur [2]). At præter doctri-

---

riorum propositam v. 35: *Ἀλλ' ἐρεῖ τις· Πῶς ἐγείρονται οἱ νεκροί; ποίῳ δὲ σώματι ἔρχονται;* necnon operam, quam Paulus collocat in demonstrando, præsens corpus terrenum haud quidem resuscitandum esse, sed aliud subtilius & perfectius, quod ex priori evolvatur (v. 36-50).

1) Nam quæ *Theodoretus & Oecumenius* ad h. l. observant: *τὰς ἐκ παιδοποιΐας διαδοχὰς ἀνάστασιν οἱ δυσώνυμοι προσηγόρευον* (cfr. Phaedon. Platon.), hæc sunt, ut monuit *Usteri* l. l. p. 363. not., magis ingeniosa, quam vera. Tum enim Paulus sine dubio non scripturus fuisset: *λέγοντες, τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι,* sed: *λέγοντες, τὴν ἀναστασιν ἀεὶ γίνεσθαι.*

2) Verumtamen major severitas, qua apostolus in Hymenæum (Philetum) & Alexandrum (cfr. 1 Tim. 1, 20. 2 Tim. 4, 14) animadvertit, fortasse suspicionem movere potest, illos homines non solum resurrectionem mortuorum in universum, verum etiam resuscitationem ipsius Christi denegasse fidemque reliquorum Christianorum huic facto habitam tanquam superstitionem vanam *irrisisse*. Nam illos cætu Christiano expulit (*οὓς παρέδωκα τῷ σατανᾷ*), hoc consilio diserte indicato: *ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν* (de significatione hujus vocis in N. T. frequentiore v. p. 47), quum inficiatores resurrectionis, qui in ep. ad Cor. commemorantur, argumentis & admonitionibus

nam de resurrectione mortuorum ψευδώνυμὸς quædam γνῶσις, quam nonnulli Christianorum jactabant, alia quoque capita institutionis evangelicæ corrumpere et arbitrarie conformare audebat; id quod sequente paragrapho accuratius illustrabimus.

§ 12.

Pseudodoctores Colossenses & Ephesini mystico-ascetici.

Audivimus jam, quantum periculi civitati christianæ inde ortum sit, quod homines placitis Pharisæorum addicti evangelium Christi ita traderent, ut prope abesset, quin studium operum pietatis externorum veram fidem religionemque sinceram in animis Christianorum prorsus supprimeret (§ 9). Qui vero ibi obtinebat error, homines per facta externa favorem Dei mereri posse, idem aliis quoque viis, licet magis occulte, in ecclesiam Christianam paullatim irrepsit. Nam quum falsa hæc opinio cupiditatibus hominum clandestinis nunquam non blandiretur, ea vero species, quam inter Palæstinenses vulgo præ se ferebat, ne his quidem omnibus satisfaceret, non mirum est, eandem perversam rationem aliis formis, quæ ingeniis hominum præsertim extra Palæstinam degentium magis placerent, ornatam celebratamque fuisse. Ipsæ illæ vicissitudines, quas doctrina ac disciplina Judæorum passim subierat, huic studio succurrebant.

Constat, jam ipsos Essenos, qui tamen exercitia pietatis a vana simulatione et specie externa ad internum pietatis virtutisque studium revocari juberent, philosophiam quandam vel rectius theosophiam coluisse, cujus præcipua pars in allegorica quadam librorum sacrorum explicatione (*φιλοσοφία διὰ συμβολῶν, Philo*), in disquisitione de natura, origine, nominibus geniorum cælestium, in severiori denique disciplina ascetica versaretur, unde factum sit,

---

erroris convincere atque ad meliorem persuasionem reducere studeret.

ut, quamvis nonnulla vilipenderent instituta, quæ reliqui Judæi plurimi æstimarent (v. c. sacrificia), ipsi tamen cerimoniis quibusdam externis, præcipue lustrationibus quotidianis, abstinentiæ ab hoc illove ciborum potuumve genere, celebrationi sabbathi, vitæ cælibi aliis denique horum similibus summum tribuerent pretium [1]. — Alexandriæ magnus Judæorum numerus, qui in hac urbe regionibusque vicinis consederat, per familiaritatem, quam cum philosophia literisque Græcorum contraxerat, eo adductus est, ut, relicta simpliciori avitæ religionis forma, hoc sibi maxime proponeret, literas sacras ope interpretationis allegoricæ ita explicare, ut sibi gentilibusque appareret, illis literis contineri fontem originarium eumque purissimum sapientiæ subtilissimæ & quam maxime profundæ. Quoniam vero ii ipsi Judæi, quibus Judaismus externus nonnisi symbolum videbatur mysteriorum absconditorum, haud raro opinabantur, viam ad mysteria illa perspicienda eo certius sterni, quo majori religione externa legis Mosaicæ præcepta, traditionibus variis exornata & aucta, observarentur, his quoque largissima copia facta est externa pietatis exercitia & præsidia plurimi æstimandi [2]. — Quum vero Judæi post exilium per totum terrarum orbem dispersi aliis quoque in regionibus inter gentes diversissimas versarentur, eadem ratio, quæ inter Judæos Græcosque paullatim intercedebat, alibi quoque inter Judæos aliosque populos orta est, adeo ut notiones, mores, consuetudines eorum mutuam quandam inter se vim haberent. Attamen quum hæc sit lex naturæ, ut fortior pars infirmiorem ad se trahat, fortior vero sit, quæ principiis suis constet — fieri non potuit,

1) Cfr. (præter locos classicos apud *Joseph.* de bell. Jud. II, 8, 2-13. Antt. XIII, 5, 9. XV, 10. 5. XVIII, 1, 5. *Philon.* Liber quisquis virtuti studet p. 457 sqq. T. II, Opp. ed. Mang. *Plin.* Hist. Nat. V, 15) *Bengel*, Bemerkungen über den Versuch, das Christenthum aus dem Essaismus abzuleiten, in *Magazin für chr. Dogm. u. Moral, her. von Flatt,* Tüb. 1801 p. 126 sqq.

2) *Neander*, Allg. Gesch. der chr. Rel. I, 1. p. 70 sqq.

quin religio judaica, quamvis et ipsa per confusionem illam gentium populorumque, immutationes gravissimas subiisset, non omnino a pristina sua forma discederet, quippe quæ fundamento legis positivæ literisque consignatæ niteretur, verum potius eam haberet vim, ut notiones religiosæ & philosophicæ gentilium, quæ externa & inconcussa autoritate destitutæ incerto motu fluctuarent, placitis, statutis, superstitionibus Judæorum passim attemperarentur [1]), præsertim quum novum præsidium, ut mox ostendendum erit, ex evangelio Christi, a multis gentilibus lubenter recepto, ad autoritatem religionis judaicæ confirmandam accessisset.

Quantumvis denique disputatum sit de nomine & notione *philosophiæ*, quæ, ut a græca distingveretur sapientia, *orientalis* appellabatur [2]), hoc tamen certum est, paullo ante ævum Augusti, inprimis vero ipso tempore hujus ac sequentium Cæsarum Romanorum, magnam hominum multitudinem, qui nominibus *Magorum* vel *Chaldæorum* vulgo insignirentur, ubivis locorum sapientiam tradidisse, quæ in originem, nexum interiorem, negotia naturarum cælestium subtilius inquireret necnon præsidia commendaret (inprimis ascetica), quorum ope homines consortii cujusdam horum spirituum participes fieri possent, unde subtilior etiam et plane singularis rerum cognitio, facultas miracula patrandi, potestas denique humanam longe superans ad ipsos redundaret. Ingens testium [3]) numerus multitudinem, consilia, opera hujus generis hominum comprobat. Horum tandem philosophandi ratio inter Gentiles somnia Neoplatonicorum, inter Christianos phantastica Gno-

1) *Senec. de superstit.* (*apud August de civit. Dei. VI*, 11). "Cum interim usque eo sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta sit, *victi victoribus leges dederunt.*" Cfr. reliquos locos classicos apud scriptt. vett. profanos in § 5 pag. 73 citatos.

2) Cfr. *Moshemii, Instit. Hist. eccl.* p. 36 § 4 sqq. *Brucker, Hist. crit. phil.* II, p. 1000 sqq. VI in add. ad II.

3) Cfr. *Hug, Einleit.* II § 131.

sticorum systemata postea peperit. Multa de moribus, *incantationibus* & portentis oberrantium Chaldæorum inter alios *Lucianus* memoriæ prodidit, qui, quum in *Philopseude*[1]) Arabes et alios inter Magos recenset, *Palæstinenses* quoque commemorat. Neque desunt vestigia horum hominum in libris Novi Foederis. Simon ille, qui animos Samaritanorum artibus suis perstrinxit (*μαγεύων καὶ ἐξιστῶν τὸ ἔθνος τῆς Σαμαρείας*, *Act.* 8, 9), ejusmodi erat Magus, qui *et* ipse existimabatur *ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ καλουμένη μεγάλη* (v. 10), vel, ut popularis ejus, *Justinus Martyr* refert (*Dial. cum Tryph.* p. 349 D. ed. Sylb.), *θεὸς ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως*. Alium Magum, natione Judæum, Paulus nactus est apud Sergium Paulum, Proconsulem Cypri (Act. 13, 7 sqq.). Septem quoque filii Scevæ, sacerdotis judaici, quorum mentio fit *Act.* 19, 14 sqq., ad hoc genus *Ἰουδαίων τῶν περιερχομένων* pertinebant. Quantum præterea ex hac philosophia sibi vindicaverint Judæi posteriores, testes sint *Cabbalistæ*[2]). — Præcipue tamen in Asia minori inter *Phryges* sacris & mysteriis absconditis semper deditos[3]) arcana illa sapientia lubentissime est recepta. Haud minus celebrabatur *Ephesus* ut sedes Magiæ & Theurgiæ[4]). In his autem regionibus magna Judæorum multitudo versabatur (*Joseph. Antt.* XII, 3), quorum cum gentilibus arcta consuetudo (quæ tamen minime pro-

---

1) *Luciani Opp. Vol. VII. ed. Bip.* p. 266 sq.

2) Cfr. *Schöttgen.*, *Horæ hebr.* Tom. II. *De Messia.*

3) Testimonia sint sacra Cybeles in his regionibus celeberrima. Phrygia Montanismi quoque patria erat. Cfr. *Steiger*, *der Br. P. an die Kolosser* 1835 Einl. § 13-20 (Charakter des Landes u. Volkes).

4) *Ἐφέσια γράμματα* — *Ἐ. ἀλεξιφάρμακα*, v. *Hug*, *Einl.* § 132. In *Act.* XIX, 19, traditur, multos eorum, qui artes magicas tractassent, fide evangelio habita, libros magicos congestos publice combussisse, quorum pretio computato quinquaginta millia nummorum reperta sint.

hibebat, quominus graviores lites sibi intenderent) vel iis ipsis, quæ *Josephus* l. l. memoriæ prodidit, confirmatur.

Jam vero evangelium Christi per apostolos omnibus gentibus annuntiatum est. Nova hæc doctrina multa habebat, quibus se hominibus probaret, qui in subtiliorem rerum divinarum perscrutationem incumbebant. Dogmata religionis christianæ de Jesu Christo, filio Dei, promissiones de donis eximiis spiritus Sancti, præcepta severa de animo a cupiditatibus sensuum purgando liberandoque multis cum Judæorum tum Gentilium, qui philosophandi rationi a nobis jam descriptæ dediti erant, valde arridebant. Neque tamen ipsa illa vis, quam nova religio ad studium sinceræ pietatis virtutisque excitandum & alendum habebat, principem locum tenere illis hominibus videbatur. Maxime delectabantur nova, quæ iis suppeditabatur, de rebus divinis disputandi materie, necnon spe, fore, ut nova ipsis aperiretur via ad consortium naturarum superiorum ineundum. Hinc quoque factum est, ut sinceram evangelii doctrinam placitis suis accommodare studerent adeoque vanis fictionibus corrumperent. Quum igitur secundum rationem philosophiæ orientalis materies existimaretur fons & origo omnium malorum, doctores christiani, quotquot evangelium illi sapientiæ jungere volebant, abstinentiam a cibis potibusque certis severe imperabant, pietatem & virtutem ad duram corporis tractationem variaque exercitia ascetica revocabant; doctrinam autem de Christo, autore salutis & solo mediatore Deum inter & homines, angelologiæ et cultui geniorum superiorum posthabebant. Hæc vero omnia ob arctam religionis christianæ & judaicæ necessitudinem, accedentibus causis jam commemoratis, ita efformata sunt, ut ad similitudinem doctrinæ & disciplinæ judaicæ proxime accederent.

Hac igitur ratione novum exstitit genus adversariorum Pauli, quorum adventum apostolus in Asia minori commorans jam prævidit (Act. 20, 29. 30), quorum vero machinationes non prius accuratius cognoscere nobis licet, quam ex

quo tempore Paulus Romæ captivus tenebatur. In epistolis enim, quarum altera ad Colossenses, altera ad Ephesios [1]) in canone librorum N. T. inscripta est, homines demum ab apostolo impugnantur, qui multis quidem in rebus Judaistis illis a nobis antea adumbratis (§ 9) simillimi fuisse, verum in aliis haud parum ab his discessisse videntur.

Quæstione illa, utrum origo ecclesiæ Colossensis ad Paulum ipsum (Act. 16, 6. 18, 23) an ad discipulos et familiares ejus sit referenda, in medio relicta, (quanquam pro sententia posteriori verba Pauli Col. 2, 1 facere videatur), certius statuere licet, Paulum per Epaphram, virum sibi addictum, qui, quum de Colossensibus vel convertendis vel amplius edocendis & confirmandis bene meritus esset, Romam se contulisset Paulum visitaturus (Col. 1, 7. 4, 12. Philem. 23), certiorem factum esse de studiis hominum quorundam, qui inter Colossenses cætusque christianos iis vicinos (Col. 2, 1. 4, 14 sqq.) errores spargerent simplicitati divinæ evangelii contrarios. — Ut adversarii Pauli, qui inter Galatas exstiterunt, autoritatem legis Mosaicæ omnibus Christianis semper valituram defendebant, ita vani illi doctores, quibus Colossensium nonnulli aures præbebant, plurimum pretii præceptis leviticis de cibis puris & impuris, de observatione dierum festorum & quæ his similia essent, tribuisse videntur. (*Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω ἐν βρώσει ἢ ἐν πόσει, ἢ ἐν μέρει ἑορτῆς ἢ νουμηνίας ἢ σαββάτων* Col. 2, 16; cfr. v. 21). Verum ut iidem illi hominis, quum ad ingenia co-

---

1) Quæ recentiore tempore a viris cell. *D. Schulz* (*Theol. St. u. Kr.* 2 *B.* 3 *H.* 1829) & *H. Schott* (*Isagoge hist. crit. in ll. N. F.* 1830) allatæ sunt rationes, quibus comprobaretur, literas Pauli ad Ephesios, Colossenses, Philemonem datas ad captivitatem Cæsareensem esse referendas, eæ nos commovere non poterant, ut a sententia vulgo probata recederemus, illas epistolas eo tempore consignatas esse, quo Paulus in captivitate Romana versaretur. Cfr. *Steiger l. l.* p. 335 *Neander* Pf. d. ch. K. I p. 372 Not. 1).

rum, quos sibi conciliare vellent, prudenter se componerent, Christianos *Corinthiacos* forma docendi & eloquentia gustui Græcorum attemperata perstringere et ad partes suas pellicere studebant, (p. 129 not.), ita, quum inter *incolas Asiæ minoris* versarentur, ei cogitandi vivendique rationi se accommodabant, quæ ibi plurimi æstimata fuerit: cognitionem igitur rerum invisibilium subtiliorem jactabant (*βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης*[1]) Col. 2, 8. cfr. v. 18 *ἃ μὴ ἑώρακεν*[2]) *ἐμβατεύων*); modestiam & pietatem prorsus singularem cultu potissimum angelorum affectabant (*θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων*[3]) 2, 18. cfr. v. 23); abstinentiam rerum quarundam externarum, duram corporis tractationem nomine sapientiæ & sanctitatis commendabant (*τί..... δογματίζεσθε· Μὴ ἅψῃ, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς..... ἅτινα ἐστι λόγον μὲν ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, οὐκ ἐν τιμῇ τινι* 2, 23). Circumcisionem quidem, quam primam omnium doctores vani Galatici imperabant, (§ 9) pseudodoctores Colossenses haud ita urgebant[4]), verum eo diligentius alia

---

1) "Quod adversarii jactabant esse philosophiam et sapientiam (v. 23), id Paulus inanem fraudem esse dicit." *Bengel.*

2) "Quæ — intellectu percipere non potest." (*Heinr. Flatt.* *ὁρᾶν* Joh. 1, 18. 6, 46. 14, 7. Cfr. *Neander* Pf. d. K. p. 385 not. *Bähr* Comment. Basel 1833). Si vero lectio *ἃ ἑώρακεν* (omisso *μὴ*), quam tuentur codd. A. B. D., vers. copt., Orig. Tertull. Ambrst. alii, genuina est, sensus constituendus est = *ἃ ἑωρακέναι δοκεῖ*, adeo ut potius ad angelophanias referatur, quas sibi oblatas esse jactitaverint isti.

3) Per *θρησκείαν τῶν ἀγγ.* intelligendum esse: cultum angelis præstandum (non: "angelicum cultum ɔ: qualem angeli exhibent," *Schöttgen. Wolf. Döss. Rosenmüll.*), philologicis & historicis rationibus comprobatum est a *Bähr*, *Steiger* ll. cc. "Habet speciem modestiæ" — ait *Grotius* — "non audere Deum accedere, sed ad angelos preces deferre ad Deum deferendas."

4) Eandem circumspectionem jam a doctoribus judaizantibus, qui

multa rogabant præcepta, quæ Judaismo cum vulgari *philosophiæ* religionis orientali communia essent (2, 8. 20 sq.). Doctores Colossenses a Galaticis eo omnino differebant, quod, quum hi legem Mosaicam propter divinam ejus autoritatem externam tuerentur, illi præcepta levitica systemati suo philosophico accommodata (*ἐν ἐθελοθρησκείᾳ*) ob pretium eorum internum commendabant. Hinc quoque factum est, ut ratio eorum speciem quandam nobiliorem præ se ferret, *quæ* ingeniis hominum vel melioris notæ multo facilius probaretur, quam turpis illa et superstitiosa Galaticorum doctorum institutio, qui palam docebant, observationem præceptorum leviticorum per se valere ad favorem Dei hominibus conciliandum (§ 9). Altius quid sentire videbantur doctores Colossenses, quum externis illis exercitiis nonnisi vim præsidiorum asceticorum tribuendam esse profiterentur (Col. 2, 20). Attamen, quum reapse præsidia illa virtutis cum ipsa virtute confunderent, ad eundem errorem, quo ducebantur Galatæ isti, redierunt. Huc accedit, quod tota illa disciplina, quam doctores Colossenses optimam judicabant esse virtutis custodem, eodem omnino loco, quo disciplina Mosaica, ponenda erat, adeo, ut si vel suo tempore studiis honestis hominum rudiorum inservire potuisset, jam autoritas ejus cedere *de*beret institutioni religionis longe perfectiori, quæ hominibus per Christum contigisset. Nam disciplina illa nonnisi *σκιὰ τῶν μελλόντων* fuerat; præcepta illa nonnisi *τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου*, (*στοιχεῖα ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ* Gal. 4, 9); — Col. 2, 27. His verbis Paulus pretium totius cultus externi, qui ante Christum florebat, quatenus eum ad sinceram animi pietatem vere referre licebat, egregie adumbravit: nam ritus

---

Corinthi versarentur, observatam esse, antea (p. 180) monuimus. In ep. ad Colossenses *περιτομή* uno tantum loco 2, 11, 12. commemoratur, atque adeo ut nonnisi per oppositionem (cfr. etiam 3, 11), quæ subintelligenda sit, conjici posse videatur, studium circumcisionem omnibus obtrudendi haud alienum fuisse a consiliis falsorum doctorum Colossensium.

illi externi erant instituta, quæ, quum genus humanum nondum supra conditionem τȣ̃ νήπιȣ (Gal. 4, 1 sqq.) ad maturitatem perfecti viri evectum esset, pietatem quamvis rudiorem excitarent & alerent; pretium igitur eorum omnino relativum et ad tempus duraturum erat; iis denique nonnisi leviter continebatur & quasi præfigurabatur, quod tandem per Christum plene & perfecte eventu est comprobatum. (Τὸ δὲ σῶμα τȣ̃ Χριςȣ̃ Col. 1. 1.) [1]).

Ut vero omnes errores graviores, ita nimium illud externæ pietatis studium ex animo cupiditatibus pravis dedito nutrimentum præcipuum hausit. Iidem illi homines, qui modestia & specie humilitatis inter omnes excellere studebant, arrogantia tamen & vana ostentatione agitabantur (φυσιȣ́μενοι ὑπὸ τȣ̃ νοὸς τῆς σαρκὸς Col. 2, 18). Neque tamen pseudodoctores Colossenses iisdem superbiebant prærogativis, quibus Galatici plurimum pretii tribuebant: doctores Galatici laudem exinde petebant, quod essent posteri Abrahami, natalibus Judæi, legis Mosaicæ strenui vindices; Colossenses ab hac gloriandi materie alieni erant, gloriolam potius captantes e subtiliore, quam venditabant, rerum invisibilium cognitione, ex animo modesto & humili, quem præ se ferebant, e misera corporis excruciatione, quam tamen et ipsam Paulus — quæ erat justa ejus has res dijudicandi ratio — πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός (2, 23) referre non verebatur [2]).

---

1) "σῶμα bezeichnet diejenigen Verhältnisse und Zustände des frommen Gemüths, welche durch jene äusserlichen Einrichtungen geweckt werden sollen, und durch sie symbolisirt sind, aber welche in ihrer Reinheit und Vollkommenheit nur durch Christus hervorgebracht werden." *Schneckenburger* (*Über die Irrlehrer, welche Paulus im Br. a. d. Col. bekämpft* p. 193 Not. 2), qui tamen locum citatum nonnisi ad theocratiam V. T. referri posse statuit (p. 191).

2) "Der Irrweg, der —— nicht das Leben vom sinnlichen Triebe *unabhängig* machen, sondern diesen ganz *unterdrücken* und ausrotten will —— ist auch eine Art *sinnlicher* Befangenheit

Tandem hac quoque in re pseudodoctores Galatici & Colossenses inter se differebant, quod illi de apostolica Pauli autoritate detrahere studebant, hi vero, quippe qui sapientiam a se traditam simplicitate evangelicæ doctrinæ Pauli cæterorumque apostolorum Jesu longe superiorem esse somniarent, magis in illa commendanda & exornanda (2, 4) quam in hac impugnanda erant occupati.

De nullo genere adversariorum Pauli pluribus disputatum est, quam de pseudodoctoribus Colossensibus. Nam quum theologi plerique — in maxima quamvis monumentorum inopia — accuratius definire vellent, ad quodnam certum philosophorum hæreticorumve genus nomine aliquo insigniore celebratum referendi essent, hypotheses diversissimas proposuerunt, quas eodem fere jure defendere ac impugnare licet. Quæ enim nobis servata sunt monumenta in N. T., de illo hominum genere universalius agunt, quam ut plena & accurata ejus descriptio inde erui possit; quod vero attinet diversas sectas philosophicas vel religiosas, ad quas theologi doctores Colossenses a Paulo impugnatos referre voluerint, observandum est, plerisque earum tot tantaque esse communia, præsertim quum ad tempus pertineant, quo notiones, mores, consuetudines hominum diversissimæ gentis & religionis modo antea omnino insolito commiscerentur, ut haud difficile sit conjecturam qualemcunque de necessitudine doctorum illorum cum hac vel illa secta rationibus quibusdam speciosis tueri & exornare [1]). Recentissimo tempore sententia, jam ab Eich-

---

des Verstandes..... Dazu gesellen sich die *sinnlichen* Antriebe der Trägheit, denn es ist leichter die Sinnlichkeit auszurotten, als zu beherrschen; der Eitelkeit, denn eine solche Tugend lässt sich zur Schau tragen; der Selbstsucht, indem man sich in selbsterfundener Weisheit gefällt." *de Wette, Chr. Sittenl.* I. p. 66.

1) Præter sententias jamdudum explosas, doctores, qui ecclesiam Colossensium perturbarent, fuisse *asseclas philosophiæ Platonicæ vel Pythagoreicæ* (Wolf), *sectatores Johannis baptistæ,*

horn & Juncker (ll. ll.) defensa, *doctores falsos Colossenses fuisse Judæos, qui proselytos venarentur*, novis argumentis erudite & subtiliter propugnabatur a *Schneckenburger*[1]), cui tamen *Neander (Pf. d. chr. K.* I. 380) *Bähr* (1833), *Böhmer* (1835), *Steiger* (1835) (in commentariis suis), *Rheinwald* (in singulari libello: *De Pseudod. Col* 1834), varia opposuerunt. Rationes præcipuæ, quibus sententia a *Schn.* defensa confutatur, eædem sunt, quas jam in usum convertimus § 9, probaturi, Galaticos seductores fuisse Judæo-Christianos; quare ad illam paragraphum (p. 114-117) lectores ablegatos velimus[2]).

In epistola, quæ ad Ephesios inscripta est, ob internas vero rationes non solis Ephesiis destinata esse potuit[3]) le-

---

discipulos Apollinis (v. *Heinrichs.* NT. ed. Kopp. Vol. VII) — rationes allatæ sunt, quibus comprobaretur, eos fuisse *Judæos* vitam asceticam commendantes (*Eichhorn, Einl.* 3 *Th.* S. 187) — vel *Judæos Alexandrinos*, qui operam navarent philosophiæ Neo-Platonicæ placitis theologiæ Judaicæ conjungendæ (*Juncker, Hist. crit. und philol. Comment. über den B. P. an die Col.* 1828) — *Judæo-Christianos*, scholæ *Essenorum* addictos (*Michael*, *Indl. til N. T.* 3 D. § 186. *Bertholdt* Einl. 6 Th. p. 3450 sqq. *Storr, Dissert. in ep. ad Col. apusc. acad. II. Flatt,* opusc. acad. p. 491 sqq. *Rheinwald, de Pseudodoctt. Coloss.* 1834). Optime illustravit *Schneckenburger* (l. l. § 5-§ 16), criteria, quibus vulgo comprobatum sit, doctores illos Colossenses fuisse Essenos, non his solis, sed multis omnino Judæis ejus temporis fuisse communia. Cfr. *Böhmer Isagog. in ep. P. A. ad Col.* 1829. *Steiger*, *Schneckenburger*, *Hug*, ll. cc.

1) *Über das Alter der jüdischen Proselytentaufe. Nebst einer Beilage über die Irrlehrer zu Colossæ Berlin* 1828. — *Idem, Beyträge zur Einl. ins N. T. Stuttgart* 1833. *No. XIV. Nachtrag über die colossischen Verführer.*

2) Cfr. præterea orationem Pauli in Act. 20, 30 καὶ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν. — Col. 2, 19. καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλήν.

3) V. *Schott, Isagoge hist. crit. in libros N. T.* § 62. *De Wette, Lehrb. der hist. crit. Einl. in die canon. Bücher d. N. T.* § 145

viora tantum reperiuntur indicia ejus rationis, quæ inter Colossenses vigebat. Lectores jubentur sibi cavere, ne cujusvis doctrinæ vento fluctuent vel agitentur ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, 4, 14. cfr. 5, 6 Μηδεὶς ὑμᾶς ἀπατάτω κενοῖς λόγοις (cfr. Col. 2, 4. 8). Hæc quidem universalius de periculis vanæ doctrinæ & fraudis humanæ proposita sunt; attamen, quum Paulus per totam hanc epistolam pariter ac in epistola ad Colossenses conscripta id præcipue agat, ut demonstret, per Christum, qui ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος[1]) (Eph. 1, 21 sqq. cfr. Col. 1, 16 sqq.) evectus sit, beneficia omnia salutemque æternam hominibus contingere, adeo ut neque fas neque opus sit auxilium implorare geniorum coelestium vel potestatem horum reformidare (Eph. 1, 15. 3, 21. 4, 7 sqq. 6, 10 sqq. Col. 1, 13-23. 2, 9 sqq.), quum singularis omnino appareat utriusque epistolæ necessitudo interna, adeo ut quæ in altera epistola scripta sint, in altera vel iisdem verbis repetantur vel simillima ratione tractentur, certo statuere licet, utrasque literas eodem fere tempore esse consignatas hominibusque destinatas, qui eodem institutionis et exhortationis genere indigerent. Quæ quum ita sint, asserere haud dubitamus, *idem hominum genus* Paulo epistolam ad Ephesios conscribenti ante

---

sqq. *Rückert, Der Br. P. an die Ephes.* 1834 p. 278 sqq. Dubitationes vero contra authentiam hujus epistolæ a *de Wette* (l. c.) excitatas rationibus, quas *Guerike* (Beytr. zu hist. crit. Einl. ins N. T. 1828), *Rückert* (l. c.) *Schott* (l. c.) proposuerint, confutatas esse pro certo statuimus.

1) Hisce verbis non potestates terrestres (magistratus, principes, doctores), sed cælestes (angelos varii ordinis) indicari, jam satis superque comprobatum esse existimamus, quare argumenta huc pertinentia h. l. afferre superfluum videtur. (Cfr. inprimis, quæ dissertationi b. *Schleiermacher: "Über Koloss.* 1, 15-20" (*Theol. Studien und Kritiken* 3 H. 1832) a viris eruditis, *Holzhausen, Osiander, Böhmer, Bähr, Steiger,* al. opposita sunt).

oculos obversatum esse, quod in epistola ad Colossenses data accuratius adumbraverit.

Doctoribus in epistolis ad Colossenses & ad Ephesios a Paulo impugnatis vulgo annumerari solebant pseudodoctores, qui in epistolis, quæ pastorales dicuntur, commemorantur [1]). Nam ex his epistolis duæ conscriptæ sunt ad Timotheum, discipulum sociumque fidum Pauli, quem munere episcopi inter Ephesios functum esse scriptores veteres tradiderunt (*Euseb. hist. eccl.* 3, 4. *Chrysost. homil.* 15 *in* I *ad Tim. Constitutt. App.* 1, 7, 46 *Photii bibl.* c. 254; quanquam quæri potest, an forte hæc traditio sola nitatur *conjectura* ex epistolis ad Timotheum derivata; nam, testante 1 Tim. 1, 3 coll. 2, 1. 8 sqq. 3, 1. 8. 4, 13. 5, 19. 22. 6, 3. 2 Tim. 2, 2. 14 al., Paulus huic Timotheo demandaverat, ut rebus ecclesiasticis cætus Ephesini [aliquamdiu] præesset). Tertia epistola ad Titum scripta est, qui ex traditione veterum *Eus. h. l.* 3, 4 *Hieronym. cat. scriptt. eccl. sub. v. Titus. Constit. App.* I. 7, 46) provincia episcopi apud Cretenses fungebatur; (quanquam eadem quæstio ibi oritur, an forte hæc traditio testimonio solo nitatur epistolæ (Tit. 1, 5. 13) ad Titum). In his epistolis doctores quidam vani impugnantur, quibus haud exigua est similitudo cum iis, qui in epistolis ad Colossenses & ad Ephesios datis castigantur. Sed quæ recentiori tempore de authentia horum monumentorum orta sunt dubia, impediverunt, quominus quæ in iis de doctoribus ecclesiam christianam perturbantibus memoriæ prodita sint, in nostrum usum *pariter* ac quæ de hujusmodi hominum genere in epistolis Pauli ad Colossenses & Ephesios leguntur, converteremus. Nam dubitationes, quæ a *Schleiermacher* [2]), qui authentiam prioris epistolæ ad

---

1) Cfr. *Michaelis, Hug*, al.

2) *Kritisches Sendschreiben über den sogenannten ersten Brief des Paulus an Tim. Berlin* 1807.

Timotheum, & ab *Eichhorn*, qui originem omnium epistolarum pastoralium [1]) impugnavit, excitatæ erant, recentiori tempore ita auctæ & confirmatæ sunt, ut, quamvis contrariæ sententiæ non sine eruditione & sagacitate a viris doctissimis, *Planck* (1808), *Wegscheider* (1810), *Hug*, *Bertholdt*, *Wolf* (1819. 20), *Heydenreich* (1826-28) *Guerike* (1828), *Böhl* (1829) defensæ fuerint, hodie vel ii theologi, quorum in arte critica exercenda moderatio laudari solet, se illis non leviter commotos esse ad ἐποχὴν quandam de ratione horum monumentorum inprimis prioris epistolæ ad Timotheum [2]) sustinendam profiteantur [3]). Qui vero omnium recentissimus epistolas pastorales criticæ explorationi subjecit, Dr. *F. C. Baur* [4]), vir & rerum copia & subtilitate ingenii præstans, relicta via negativa, quam Schleiermacher cum aliis ingressus erat, rem dubiam veritati propius adduxisse sibi videbatur [5]), quum diserte comprobare studeret, *epistolas illas ad sæculum secundum esse referendas hæreticosque in iis impugnatos Gnosticos fuisse, inprimis Marcionitas* (l. l. p. 10).

Ne igitur, quum ambitus ratioque hujus opusculi obstaret, quominus omnes quæstiones huc pertinentes illustrare possem, vitio mihi verteretur, quod monumenta, quæ multis theologis doctis ad tempus post-Paulinum pertinere viderentur, *eodem* loco, quo reliqua scripta Paulina indubitatæ fidei temere po-

1) Einleitung 3 B. 1 H. p. 315 sqq.

2) Cfr. *Neander, Pf. d. chr. K. p.* 401 Not. *Lücke, Erinnerungen an Dr. Fr. Schleiermacher* in Theol. Stud. u. Kr. 1834 S. 764. 66.

3) Mutua tamen, quæ his epistolis intercedit ratio, ita omnino comparata esse videtur, ut origo Paulina aut omnibus tribus simul vindicanda aut simul detrectanda sit.

4) *Die sogenannten Pastoralbriefe des Apostels Paulus, aufs neue kritisch untersucht. Stutt. u. Tüb.* 1835.

5) "Soll diese kritische Frage auf einen höhern Grad von Evidenz gebracht werden, so müssen nothwendig auch positive. Data, die uns aus der Zeit des Apostels in eine andere und in einen ihm fremden Kreis von Verhältnissen versezen, nachgewiesen werden" *l. l. p.* 4.

suissem, objectionibus & dubiis criticis non confutatis, satius duxi de falsis doctoribus, qui in epistolis pastoralibus impugnantur, seorsim agere. Attamen sublatis illis dubitationibus, quæ cum ex tempore & loco, quo referendæ sint epistolæ pastorales, tum ex phrasibus & formulis earum a consueto scribendi more Pauli alienis ortæ fuerint, non difficile erit probare, descriptioni falsorum doctorum, qualem hæ epistolæ exhibeant, non inesse, quod ab ingenio moribusque eorum doctorum, qui in epistolis ad Colossenses & Ephesios notentur, ita discrepet, ut relationes horum omnium monumentorum inter se conciliari nequeant.

Itaque, quum inter omnes quidem constare videatur, non fieri posse, ut origo harum epistolarum Paulina vindicetur, nisi ad tempus post priorem apostoli captivitatem Romanam referantur[1]), ea vero, quæ ad res a Paulo inter captivitatem illam et mortem ipsius gestas pertinent, ratione a veri similitudine non aliena exponi posse videantur, si viam a *Mynster* (*De ultimis annis muneris Apost. a Paulo gesti* 1815) vel a *Neander* (*Pf. d. chr. K.* I. p. 380 sqq.) indicatam ingrediaris: statuere licet, Paulum, e custodia Romana (Act. 28, 30, 31) liberatum varia suscepisse itinera, quibus ipsi contingeret Asiam minorem, Cretam & alias regiones adire, donec tandem Romæ iterum vinctus in periculum capitis venerit. Contigit igitur Paulo eo tempore, quod inter priorem & posteriorem captivitatem Romanam præterlapsum est, rationem & studia hominum illorum, qui in cætibus Asiæ menoris iisque vicinis sinceritatem evangelii placitis suis adulterabant, melius cognoscere. Hinc factum est, ut quorum perversitatem in epp. ad Coll. & Ephess. generalius antea notaverat, jam in epistolis ad Timotheum & ad Titum accura-

---

1) "Bisher haben die Zweifel den Nutzen gehabt, dass man eingesehen, die Abfassung dieser Briefe vor der ersten Gefangenschaft lasse sich keineswegs vertheidigen." *de Wette, Einl.* § 158 not. c) cfr. *Schott, Isagog.* § 74. *Baur l. c.* p. 62.

tius adumbraret in eamque eo asperius inveheretur, quo clarius ipsi innotuisset cum turpitudo plerorumque illorum hominum, tum successus, quo studia eorum inter Christianos gauderent. Ita compertum ei erat, quod jam antea opinatus est (Col. 2, 16), homines origine Judæos præcipuam culpam perversæ illius rationis sustinere (*Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ καὶ ἀνυπότακτοι, ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται, μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς* Tit. 1, 10. 14. 3, 9. cfr. 1 Tim. 1, 4. 7). Præter externa illa præcepta vulgaria de abstinentia a cibis impuris & quæ his erant similia (1 Tim. 4, 3 *ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν μετὰ εὐχαριςίας...* 4, 8 *ἡ σωματικὴ γυμνασία πρός ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος·* Tit. 1 15 *πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς κ. τ. λ.* quibus jam additum erat præceptum de matrimonio fugiendo cfr. 1 Tim. 4, 3 *κωλυόντων γαμεῖν*), vani illi homines traditiones & fabulas qualescunque (*τὰς βεβήλες καὶ γραώδεις μύθους* 1 Tim. 4, 7. *τάς βεβήλες κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμε γνώσεως* 6, 20. [2 Tim. 2, 16.] *ἐπι δὲ τὰς μύθους ἐκτραπήσονται* 4, 4. *προςέχοντες Ιεδαϊκοῖς μύθοις καὶ ἐντολαῖς ἀνθρώπων ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν* Tit. 1, 14) Christianis obtrudere studebant, quas nomine sapientiæ & cognitionis profundioris venditabant, quanquam per se æque vanæ erant ac a sincera evangelii doctrina alienæ. Videntur hæ nugæ vel ad mysticam & allegoricam legis Mosaicæ interpretationem (1 Tim. 1, 6 *θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι.* Tit. 1, 14 *ἐντολαῖς ἀνθρώπων ἀποστρεφομένοι τὴν ἀλήθειαν·* 3, 9 *μάχαι νομικαὶ* [1]) vel ad angelologiam phantasticam (1 Tim. 1, 4 *μύ-*

1) Cfr. quæ observavit *Stäudlin* (*Gesch. der Sittenl. Jesu* I. p. 423 sq.) *ad Joseph. Antt. XIII*, 10. 6. [*νομίμα πόλλα τινα παρέδοσαν οἱ φαρισαῖοι*] "Der Grund, warum Josephus nur von Zusätzen aus der Tradition zu den mosaischen Gesezen, nicht zu den übrigen heiligen Büchern spricht, ist der, weil jene Geseze den Fond der ganzen Israelitischen Religions- und Sittenlehre ausmachten, und die Pharisäer meist auch nur bei diesen

θοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, Tit. 3, 9 μωρὰς δὲ ζητήσεις καὶ γενεαλογίας)[1]) exornandam pertinuisse. Jam

Tradition zu Hülfe nahmen." — *Döpke, Hermeneutik der neutest. Schriftst.* S. 109 "Jedoch ist es merkwürdig, dass er (Philo) nur die Schriften Mosis commentirt. Wir haben früher bemerkt, dass diese bey den Juden überhaupt in grösserer Achtung stehn und auch zuerst ins Griechische übersetzt wurden." Cfr. etiam *Prooem. Joseph. in Antt. Jud. sub finem*, ubi de abstrusiore sensu legis Mosaicæ indagando hæc habet: τοῖς μέντοι βουλομένοις καὶ τὰς αἰτίας ἑκαστῶν σκοπεῖν πόλλη γίνοιτ' ἂν ἡ θεωρία καὶ λίαν φιλόσοφος.

1) Constat, vehementissime ambigi de notione harum γενεαλογίων (v. commentt. in hh. ll.). Equidem iis accedere non dubito, qui cogitandum esse statuunt de origine & emanatione naturarum cælestium. Quando contra argumentum, quod e Col. 2, 18 ad hanc rem illustrandam peti solet, ita disputat *Baur* (l. c. p. 11): "Woher wissen wir aber auch nur das Geringste über solche Engel-Genealogien bei den Irrlehrern zu Colossä, selbst wenn wir die ganze essenische Angelologie bey ihnen voraussezen? — observare juvat, speculationes de emanatione spirituum cælestium ubivis locorum respondisse cultui harum naturarum, ut esotericam religionem exotericæ. Cfr. *Schneckenburger, Über die Irrl. zu Col.* § 10. "Nach der mystischen Theologie waren die Engel Kräfte Gottes, und die höheren derselben, die Sephiroth der Kabbala, wurden bestimmt angebetet. Vergl. *Rhenford diss. de styl. Apoc. cabb. Meuschen N. T.* p. 1113. So erscheinen auch bei Philo diejenigen, welche sich nicht zu dem reinem Eins erheben können, als Verehrer der herrschenden oder der gütigen Kraft Gottes. Wie leicht konnte dies in der exoterischen Religion eine eigentliche Verehrung der Engel zu Folge haben! — — Auch den Samaritanern waren die Engel zum Theil göttliche Emanationen; *Gesen. theol. Samar.* p. 23. Von diesen höheren Classen giengen die niedern aus und hingen deshalb von ihnen ab. Wie natürlich nun das Bestreben, sich jene geneicht zu machen, (cui desiderio studium has naturas cognoscendi junctum esse debebat), um der letztern Dienst zu geniessen?" — Cfr. theses *Rhenfordii* (l. l.) de Cabbala Sephirothica: "A. *Decem sunt* Sephiroth. G. Illæ vere decem Se-

vero quum in his disputationibus metaphysicis, quæ intelligentiam humanam longe superabant (μὴ νοοῦντες μήτε ἃ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται 1 Tim. 1, 7 cfr. Col. 2, 18 ἃ μὴ ἑώρακεν, ἐμβατεύων), suum quisque sequeretur imaginandi arbitrium (κατὰ τὰς ἰδίας ἐπιθυμίας 2 Tim. 4, 3), non mirum est, maxima inde orta esse dissidia de rebus omni practico usu destitutis (μύθοις καὶ γενεαλογίαις ἀπεράντοις, αἵτινες ζητήσεις παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκονομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει 1 Tim. 1, 4. 6, 3, 4. τὰς δὲ μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις παραιτοῦ, εἰδὼς ὅτι γεννῶσι μάχας. 2 Tim. 2, (16) 23. μάχαι νομικαὶ ἀνωφελεῖς καὶ μάταιοι Tit. 3, 9). Præterea, sicuti Paulus quum epistolam ad Colossenses literis consignaret, in universum jam indicaverat, perversam hanc rationem e pravis animi cupiditatibus præcipuum petere nutrimentum (p. 169), ita, postquam præsens cognoverat, quales essent plerique harum turbarum autores, studia eorum ad pessimas causas referre non dubitavit. Nam ut semper homines haud pauci superstitiosis notionibus ducti in exercitia pietatis externa incumbebant, perperam opinantes, meritum quoddam inde ad ipsos redundare, alii vero notiones superstitiosas cum ipsi fovebant tum inter alios spargebant, propterea quod quæstum terrestrem sibi inde facere cupiebant: ita apostolico quoque tempore nonnulli in eo peccabant, quod vanæ gloriæ studio ducti (Col. 2, 18) vel stimulis conscientiæ malæ agitati (2 Tim. 3, 6.) vel cupiditate denique flagrantes mysteria absconditæ sapientiæ perspiciendi (2 Tim. 3, 6 πάντοτε μανθάνοντες καὶ μηδέποτε εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν δυνάμενοι. 4, 3 κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν), disciplinæ externæ rigidiori

phiroth non sunt omnes ejusdem ordinis, sed distingvuntur in *tres superiores* et *septem inferiores*. H. Quarum illæ ipsa *divina essentia* sunt & inter se *unum*. I. Hæ vero *inferiores* sc. *attributa*, per quæ *tres superiores* operantur & se in mundo manifestant. K. Septem inferiores iterum dividuntur in *sex extremitates* & *ultimam sephiram* &c."

nimiam operam navabant, alii vero culpam longe graviorem sustinebant, quippe qui studium illud externæ pietatis nonnisi eo consilio commendarent, ut lucrum e superstitione aliorum peterent (*οἱ νομιζόντες πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν* 1 Tim. 6, 5. *ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι.* 2 Tim. 3, 5. *διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ, αἰσχροῦ κέρδους χάριν* Tit. 1, 11). Pessimum hoc hypocritarum genus animo Apostoli obversabatur, quum conviciis cumulatis (*ψευδολόγοι, κεκαυτηριασμένοι τὴν ἰδίαν συνείδησιν* 1 Tim. 4, 2. *διεφθαρμένοι ἄνθρωποι τὸν νοῦν* 6, 5. *ἄνθρωποι φίλαυτοι, φιλάργυροι, ἀλαζόνες, ὑπερήφανοι, βλάσφημοι κ. τ. λ.* 2 Tim. 3, 2 sqq. *ἀνυπότακτοι, ματαιολόγοι καὶ φρεναπάται* Tit. 1, 10) homines notaret, qui in familias clam se insinuarent atque personas parum prudentes ad partes suas insidiose pellicerent (2 Tim. 3, 7.)vel totas familias a vera doctrina abducerent (Tit. 1, 11); quanquam tum, ut semper, difficillimum erat, accuratius distingvere inter eos, qui alios & qui se ipsos deciperent; nam, ut præclare dictum est 2 Tim. 3, 13: *Πονηροὶ ἄνθρωποι καὶ γόητες προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, πλανῶντες καὶ πλανώμενοι.* (Cfr. descriptionem pseudodoctorum Galaticorum § 9).

Hac denique ratione omnia, quæ de pseudodoctoribus in epistolis pastoralibus leguntur, bene cohærere videntur et inter se et cum iis, quæ de hoc hominum genere in epistola ad Colossenses tradita sunt. — Contrariam sententiam tuetur *Baur* l. l., qui, quum probare studeat, epistolas pastorales ad seculum secundum esse referendas, præcipuum inde petit argumentum, quod hæretici in illis literis describantur, quorum nulla sint vestigia in scriptis Pauli genuinis. "Gegner "der wahren Lehre von Christus" ait *Baur* (p. 8 sqq. *Erst.* "*Abschn. Die Häretiker der Pastoralbriefe)* "finden wir nun "zwar auch in den unzweifelhaft ächten Briefen des Apostels, "aber es ist auch leicht zu sehen, dass sie einen unverkenn-"bar andern Charakter an sich tragen. Sie charakterisiren "sich vor allem am meisten eben dadurch, dass sie als per-

"sönliche Gegner des Apostels auftreten; seine apostolische "Autorität nicht anerkennen wollen, und, im Wiederspruch "mit seiner Grundlehre von der Rechtfertigung durch den "Glauben, die auch für die Christen fortdauernde Verbind- "lichkeit des mosaischen Gesetzes behaupten." Hæc quidem vera sunt, quatenus ii adversarii spectantur, quos in § 9 adumbravimus, verumtamen, si lectores nostri memoria tenent, quæ § 12 p. 168 sqq. a nobis disputata sunt, intellexerunt etiam, jam in epistola Pauli ad Colossenses, cujus authentia nullis dubitationibus unquam fuit obnoxia, falsos doctores describi, qui ab adversariis Pauli in epp. ad Galatas, Corinthios, Philippenses adumbratis æque discedant ac propius accedant ad eos, qui in epistolis pastoralibus notentur. Hac vero similitudine, quæ pseudodoctoribus Colossensibus cum iis intercedit, qui in epistolis ad Timotheum & ad Titum describuntur, a *Baur* omnino neglecta, eo diligentius ea urgentur, quæ his doctoribus (in epp. past. descr.) cum Marcionitis sæculi secundi communia fuisse videntur. Verum hac in re jam haud exiguo vitio laborare mihi videtur argumentatio viri illius præstantissimi, cujus eruditionem ingeniique acumen maxima prosequor observantia, licet sententiam ejus hac occasione propositam non possim non impugnare. Nam quo tandem jure, relictis iis monumentis, quæ ad ævum Paulinum referenda esse constat, ad alia confugere licet, quæ ad tempus longe posterius pertinent, ut si qua ibi reperiantur iis similia, quæ leguntur in scriptis nonnullis, quibus autoritas haud contemnenda Paulinam originem vindicaverit, inde concludatur, hæc documenta recentioris esse originis? Immo, si in reliquis libris Pauli vel nulla exstarent vestigia ejus hæreticæ rationis, quæ notatur in epistolis pastoralibus, ne tum quidem liceret e similitudine quadam hæreticæ sectæ posterioris ævi argumentum certum petere, quo probaretur, epistolas pastorales recentioris originis esse. Neque enim res ita se habet, ut diserte cum Baur affirmare liceat, has vel illas res, quibus insignita fuerit ratio pseudodoctorum, qui

in epistolis ad Timotheum & ad Titum commemorantur, non posse ad sectam priorem, quam gnosticam sec. 2di referri 1). Est jam vetus regula eaque vulgo recepta, e silentio monumentorum, præsertim quum numerus eorum haud ita magnus sit, nil certi probari posse. Num vero propterea quod in magna monumentorum apostolici ævi inopia pauca tantum testimonia certæ cujusdam rationis hæreticæ reperiuntur, longe plura vero in monumentis scriptis sæculi secundi, inde certo concludi potest, illam rationem ne ortam quidem esse apostolico tempore, præsertim quum, ut ipse *Baur* concedit 2), ejusmodi disciplina, qualis describitur in epistolis illis pastoralibus, omnino consentiat ingenio & moribus hominum ejus temporis, quo religio christiana exstitit ac florescere cæpit? Nonne ibi rursus illud studium, quod antea commemoravimus, conspicuum fit, homines, quorum ratio in N. T. nonnisi ge-

1) "Die Warnung, die 1 Tim. 1, 4 vor allem andern eingeschärft wird, μηδὲ προσέχειν μύθοις καὶ γενεαλογίαις &c. (cfr. 2 Tim. 4, 4. 1 Tim. 4, 7. Tit. 1, 14) passt auf keine andern Häretiker, als die Gnostiker" *l. l.* p. 11. cfr. p. 18 al. Concedam profecto, si usus vocabuli *Gnostici* iis limitibus coerceatur, quibus v. c. *Schott*, *Isagog.* § 65 not. 2 hanc denominationem circumscripserit, quum profiteatur, licere doctores ecclesiam Coloss. perturbantes *Gnosticos* appellare, "quatenus intelligantur homines Judæo-Christiani ejusmodi placita ex religionis philosophia orientali profecta lubenter approbantes, quæ *posthac*, diversimode tractata, varias Gnosticorum familias pepererint." Sed sensu longe strictiori nomen Gnosticorum a *Baur* l. l. acceptum esse, patet ex thesi p. 10 proposita: "Wir haben mit Einem Worte in den Häretikern der Pastoralbriefe die Gnostiker des zweiten Jahrhunderts vor uns, insbesondere die Marcioniten."

2) Cfr. l. l. p. 25 "Der Ausdruck (σωματικὴ γυμνασία) ist allerdings, wie Schleiermacher (*Sendschr.* S. 55) mit Recht bemerkt, gar wunderlich, kann aber doch nichts anders bedeuten, als die strenge Ascese und Abstinenz, die zu der Lebensweise solcher Secten gehörte, aber doch auch wieder mit dem ganzen Geist jener Zeit zusammenhing."

neralius adumbrata sit, ad certam quandam sectam nomine quodam insigni celebratam propterea referendi, quod criteria nonnulla utrisque sint communia? *Baur* ipse diserte profitetur, plura argumenta a se allata non omnino idonea esse ad sententiam suam certo probandam 1); alia vero, quibus plus pretii tribuit, ita comparata sunt, ut difficultatibus exegeticis & historicis premantur longe gravioribus 2), quam ea, quæ vulgo afferuntur ad sententiam a plerisque receptam defendendam; alia denique æque bene pro hac ac pro illa facere videntur 3). Quum igitur potestas, quæ his postremis tribui debet, e disquisitione dependeat, utrum difficultates, quibus authentia epistolarum pastoralium præterea obnoxia esse dicatur 4), conciliari possint cum traditione vulgari de Pau-

---

1) p. 29. "Ich gebe zwar zu, dass diese Ausdrücke (1 Tim. 3, 16. 2 Tim. 1, 9. 4, 1. 8. Tit. 2, 11. 3, 4) keinen strengen Beweis abgeben." — — — (θεὸς σωτήρ) "Ich gebe auch hier zu, dass nichts streng Beweisendes darin liegt, kann aber deswegen doch nicht unterlassen, an die Analogie zu erinnern, die mir dies mit der marcionitischen Lehr- und Darstellungsweise zu haben scheint."

2) Quis tandem, ut hoc utar, accedere potest autori illi de voc. νομοδιδασκάλοι (1 Tim. 1, 6-11) ita disputanti: — — — "ich sehe nicht, warum mit diesem Namen nicht auch die marcionitischen Antinomisten gemeint seyn können, die es sich zur wichtigsten Angelegenheit machten, über das Gesez zu disputiren, und sein Verhältniss zum Evangelium zu bestimmen. Auch sie führten so, wie die alten jüdischen Gesezeslehrer, das Gesez immer im Munde, aber freilich nicht um es als göttliche Lehre geltend zu machen, sondern *im entgegengesezten Sinne*. Der Ausdruck erscheint so sogar recht gut gewählt, um durch die Anspielung, die er enthält, *diese Eiferer gegen das Gesez* (?) mit einem geringschäzenden Nebenbegriff zu bezeichnen." (p. 17).

3) Cfr. Baur l. l. p. 19. 22. 26. 28. 34.

4) Vide quæ *Baur* in reliquis libri citati capitibus erudite & subtiliter disputavit; quanquam plura eorum ingeniosa magis,

lina harum epistolarum origine, huic vero disquisitioni hoc loco supersedendum sit, in sententia antea proposita acquiescimus: descriptionem falsorum doctorum, qualem exhibeant epistolæ pastorales, haud ita discedere ab ingenio & moribus multorum Christianorum apostolici ævi, ut hinc argumentum idoneum peti possit ad dubia de authentia illorum monumentorum excitanda.

---

quam vera sunt, adeo ut ne unum quidem monumentum antiquum suspicionem recentioris originis effugiat, si ejusmodi argumentis inhærendum sit.

CORRIGENDA.

Pag. 9 v. 13 Messianam, l. Mosaicam.
— 10 — 12 instabant, l. instabat.
— 96 — not. cum noverca, l. in novercam.
— 107 — 16 ipsi, l. ipsis.